XAKV

ooe

Harry B. VanDeventer,
February 1910

EDITIONES CRITICÆ
SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
PUBLICI IURIS FACTÆ.

CIRIS

EPYLLION PSEUDOVERGILIANUM.

BUDAPESTINI
TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ
MCMIX.

CIRIS

EPYLLION PSEUDOVERGILIANUM

EDIDIT, ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS ET CRITICIS
INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI
SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
MCMIX.

FRANKLIN-TÁRSULAT NYOMDÁJA.

PRÆFATIO.

In Appendice Vergiliana, candidi lectores! ad nos pervenit carmen *Ciris*, epyllion Alexandrinorum more compositum, cuius auctor ignotus Lucretium Catullumque sæpissime imitatur, sed inprimis Vergilii locos tam multos in suum usum convertit, ut poema eius interdum pæne cento Vergilianus esse videatur.

De hoc carmine semper diversæ erant virorum doctorum sententiæ; nuper autem maximos in republica litterarum tumultus movit *Franciscus Skutsch*, professor Vratislaviensis, duobus libris editis,[1] ubi «ægrotorum veterum somnia»[2] resuscitans Cirin Cornelio Gallo, principi elegiæ Romanæ vindicat et Vergilio imitatoris partes attribuit. Ut sententiam suam argumentis confirmet, comparat locos inter Cirin et Vergilium communes miraque cum audacia Vergilium fuisse imitatorem eo studet evincere, quod Vergilius carmen Ciris pluribus locis, se ipsum prodens, inepte sit secutus versusque imitando expressos plerumque corruperit. Sed, ut cognoscatis hominis temeri-

[1] *Aus Vergils Frühzeit* (Lipsiæ, Teubner, 1901); *Gallus und Vergil*, ibidem, 1906.

[2] Inter philologos veteres, qui *Cirin* Gallo tribuerunt, primus fuisse videtur *Fontanini:* Histor. litter. Aquileiensis (Romæ, 1742.) p. 39. sqq.

tatem, legatis verba ipsius immortalitate digna: «Man darf sagen, dass sich nie ein Nachahmer *naiver verraten* hat als Vergil, wobei ihn einigermassen entschuldigen mag, dass er selbst die Entlehnung gar nicht verheimlichen wollte. Nur ist freilich die *täppische Art*, wie er sich gelegentlich verrät, gewiss auch seine Absicht nicht gewesen . . .[1] Vergil beweist gerade durch die *Plumpheit seines Ausdruckes* unwidersprechlich seine Abhängigkeit von der Ciris . . .[2] Vergil würde nicht mit solcher Regelmässigkeit die aus der Ciris entlehnten Stellen *abschwächen*, ja *verderben*, wenn sie seinem eigenen Schöpfergeist entsprungen wären».[3]

Hæc *Skutschii* commenta qui refutanda sibi proposuerunt, nescio quo pacto parum acres se huc usque præstiterunt Maronis vindices, quo factum est, ut numerus sectatorum *Skutschii* in dies crescat iamque verendum sit, ne tanti nominis splendor confidentia unius hominis obscuretur.

Mihi quidem, ut plane dicam, quod sentio, omni sensu recti et pulchri prorsus destitutus atque furcillis, ut Catulli verbis utar, de Helicone deiciendus esse is videtur, qui auctorem Ciris, simium istum Lucretii et Catulli, Gallum fuisse, Vergilium autem istius simii simium esse statuit. *Skutsch* igitur uno errore utrumque poetam lædit: Gallum illum, cuius magnitudinem multo melius, quam antea, nobis pervidere licet, ex quo mihi veram originem indolemque elegiæ Romanæ detegere contigit,[4] et Vergilium,

[1] *Aus Vergils Frühzeit*, p. 113.

[2] *Vergil und Gallus*, p. 180.

[3] Ibidem, p. 119.

[4] Cf. libellum meum inter Commentationes Academiæ Litterarum Hungaricæ editum: *A római elegia viszonya a göröghöz* (Budapestini, 1903) et *Rhein. Mus.* an. 1905. p. 320.

poeseos Romanæ principem, artificem summum elocutionis poeticæ Latinæ. Vere iam tempus est, ut maximorum poetarum Manes a tali vindicentur iniuria doctissimæque illæ *Skutschii* ineptiæ tradantur bene merito derisui.

Quare duobus iam abhinc annis recitaveram in consessu Societatis Philologorum Budapestinensis commentatiunculam, quæ postea in *Museo Rhenano*[1] lucem vidit, ubi in hac quæstione difficili sane atque lubrica novam, opinor, monstravi veri inveniendi viam auctoremque huius carminis falsarium fuisse eoque scripsisse consilio, ut fetum suum misellum Vergilio supponeret, pluribus demonstrare conabar argumentis. Nunc autem, ut omnis tollatur dubitatio, editionem exegeticam *Ciris* publici iuris facio,[2] unde, quantum *Skutschii* inventa valeant, lectoribus nulla opinione præiudicata ductis luculenter apparebit.

Novus enim iste Vergilii interpres, cum carmina Maronis cum *Ciri* compararet, contentus erat ea locorum parallelorum collectione, quam *Sillig* et *Bæhrens* olim editionibus Ciris adiunxerant. Ego autem feci, quod *Skutsch* sibi faciendum non putarat: *perlegi Vergilium* totque congessi locos ab auctore Ciris imitando expressos, ut, qui huc usque noti erant loci inter Cirin et Vergilium communes, ne dimidiam quidem eorum partem efficiant. Perlegi præterea ceteros Romanorum poetas a Lucretio Catulloque usque ad Manilium et Germanicum Cæsarem eosque omnes

[1] *V. Rheinisches Museum*, a 1907. p. 482: *Zur Ciris-Frage.*

[2] Quasdam ex hoc commentario particulas recitavi in festo Societatis Philologorum Budapestinensis consessu a. d. III. Id. Ian. a. MCMVIII. Cf. commentationem meam *Vergilius dormitans* in ephemeride eiusdem Societatis: *Egyetemes Philologiai Közlony*, t. XXXII. p. 169. sqq.

expilatos esse ab hoc falsario in adnotationibus exegeticis satis demonstravi. Quare iam nunc aut totam fere Vergilii elocutionem ex hoc uno fonte fluxisse omnesque Augustei temporis poetas ex hoc parvo epyllio colores mutuasse statuendum est, aut concedendum: auctorem Ciris fuisse imitatorem callidissimum, qui thesauro scriptorum aureæ ætatis poetico commode poterat uti.

Tollat legatque igitur hunc libellum, quisquis Vergilium amat: videbit statim, quo iure damnet cygnum Mantuanum quaque levitate in tota hac quæstione tractanda versatus sit *Skutsch* ille, quem nunc socii discipulique in omnibus fere hebdomadariis criticis in cælum efferunt laudibus iamque victricis causæ patronum salutant,[1] iidem illi, qui alias in iisdem hebdomadariis, vivos mortuosque sententiis tamquam de tripode dictis iudicantes atque damnantes, tantopere se iactare solent, ut non doctos homines, sed milites gloriosos Borussos ex ephemeridibus Germanorum iocosis satis superque notos loqui credas. Signifer autem legionis est *F. Jacoby*[2] ille, qui originem elegiæ Romanæ duobus post me annis denuo detexit, postea tamen a rectore *Musei Rhenani* admonitus me primum vidisse verum «dentibus infrendens» fassus est,[3] quo ex tempore nullum possum edere librum, quin me mordere temptet; sed

> fragili quærens illidere dentem
> Offendet solido,

et mox, prædico, qui me læsit,

> totidem audiet atque
> Respicere ignoto discet pendentia tergo.

[1] Cf. *Literarisches Centralblatt*, a. 1907. p. 96.
[2] Vide *Deutsche Litteraturzeitung*, a. 1907. p. 223.
[3] Cf. *Rheinisches Museum*, a. 1905. p. 320.

Tempus est enim, ut talibus homuncionibus, qui nos Hungaros impune lædi posse credunt, quia propter angustias linguæ patriæ extra litterarum commercium esse videmur,[1] ut istis, inquam, ostendamus veritatem antiqui proverbii: *Cave lædas Hungarum!* Habemus enim linguam Latinam, quæ patribus nostris erat altera pæne vernacula, scimus loqui, ut totus audiat terrarum orbis.

Tales igitur filii certe non sunt digni matre Germania, magna illa philosophorum philologorumque parente, optima ingenuarum artium magistra, cui Hungari plurimum nos debere semper libentissime fatebamur; me autem præcipue æquum est meminisse, quid Almæ Matri Lipsiensi et Berolinensi, quid viris clarissimis, Ribbeckio Vahlenoque debeam,

> . . . τῶν δ' οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἂν ἔγωγε
> Ζωοῖσιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Non ero igitur ingrati animi nota afficiendus, si ridiculos errores hominum tam inepte superbientium seriæ doctrinæ lampade illustraro libroque Latine scripto monstravero toti litterarum reipublicæ, quantula sapientia regatur — philologia.

Sed missis iam his ingratis altercationibus fungamur officio gratissimo celebremusque merita laude Academiam Litterarum Hungaricam, cuius liberalitati debeo, quod non solum hunc in Cirin commentarium viris doctis offerre quivi, sed etiam totius Appendicis Vergilianæ editionem

[1] Magnus ille *Mommsen* scripsit in tomo Inscriptionum Latinarum lapides Pannonios continente, usum linguæ nostræ in commentationibus doctis reprehendens: «Ita fit, ut Hungari extra litterarum commercium permaneant et, cum barbari non sint, barbari tamen quodam modo videantur.»

adnotationibus exegeticis instructam brevi iam tempore absolvere potero. Nam epodum[1] Cataleptis Vergilii insertum inter commentationes Academiæ edideram Horatioque vindicaveram[2] iam anno præterito. hoc autem anno edidi ibidem elegiam in Messallam[3] Ovidio puero vindicatam[4] paucisque post mensibus etiam cetera Cataleptorum carmina. quæ Vergilio iure tribuuntur, uno fasciculo comprehensa in lucem proditura spero; *Culicem* autem Pseudovergilianum una cum Copa et Moreto eadem Academia proximo anno publici iuris faciet.[5] Restat igitur. ut cum toti Academiæ Hungaricæ, tum Collegio eius Philologico gratias agam quam maximas, præterea autem viro illi clarissimo. qui Festum Paulumque nobis familiares fecit Homerumque docuit loqui Hungarice, qui Collegio illi summa cum laude præsidet munificentiamque Academiæ in studia antiquitatis dirigit, Aemilio *Thewrewk de Ponor.*

Liceat ergo mihi Te, Optime Magister, iuventutis olim meæ columen atque præsidium, hoc loco grati animi verbis alloqui. quamquam nullo modo fieri potest,

Ut, quantum mihi Te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Sed certe, quotiescumque dulces adulescentiæ annos recordor. Tu obversaris animo. qui primus incussisti

[1] I. e. Catalepton XIII.

[2] Cf. *De epodo Horatii Cataleptis Vergilii inserto*, Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, MCMVIII.

[3] I. e. Catalepton IX.

[4] Cf. *De Ovidio elegiæ in Messallam auctore*, Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, MCMIX.

[5] Etiam *Diras et Lydiam* adnotationibus instructas inter commentationes Academiæ edere mihi in animo est.

suavem mi in pectus amorem
Musarum;

cui debeo, quod

acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor;

qui mihi iterum atque iterum proposuisti Homericum illud a Cicerone iuvene decantatum:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Quare libentissime Tibi, qui olim adulescentuli «aures insevisti fruge» optimæ doctrinæ, offero maturos ingenii mei fructus; nam præcipue

Tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat,

quid valeat nunc philologia Hungarica, quam severa artis disciplina Tu roborasti princeps.

Dabam Budapestini mense Martio a. MCMIX.

Geyza Némethy
Academiæ Litterarum Hungaricæ sodalis.

DE AUCTORE CIRIS.

. . . simius iste,
. . . Calvum et doctus cantare Catullum.
Hor. Sat. I. 10, 18—19.

DE AUCTORE CIRIS.

Quo tempore epyllion *Ciris* scriptum sit, eo maxime elucet, quod auctor omnia fere *Cataleptorum* Vergilianorum carmina et *Culicem* Pseudovergilianum, ut quavis pæne pagina commentarii mei docemur, consulto imitatus est. Sequitur autem, ut Vergiliana, eas quoque Cataleptorum partes, quas Vergilio tribui non posse inter omnes constat, præcipue elegiam in Messallam.[1]

Scriptor igitur ante oculos habuit eum, quem nos quoque habemus, Cataleptorum libellum, illa poeseos Vergilianæ rudimenta, quæ post mortem poetæ Mantuani ex scriniis relictis sine ulla selectione una cum carminibus Ovidii[2] et Horatii[3] Vergilio olim traditis ab eoque servatis edita esse alio loco docebimus.[4] *Culicem* autem non solum imitatur, sed etiam alludit ad eum eo consilio, ut *Cirin* post Culicem et ante Bucolica a Vergilio iuvene scriptam esse fingat; vss. enim Ciris 18—20:

[1] Catal. IX.

[2] Cf. libellum meum: *De Ovidio elegiæ in Messallam auctore*, Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, MCMIX.

[3] Cf. commentationem meam: *De epodo Horatii Cataleptis Vergilii inserto*, ibidem, MCMVIII.

[4] In editione mea: *P. Vergilii Maronis Catalepton*, quæ inter commentationes Academiæ Hungaricæ brevi iam tempore in publicum prodibit.

Non ego te talem venerarer munere tali,
Non equidem, quamvis interdum *ludere* nobis
Et *gracilem molli* libeat *pede* claudere versum,

referendi sunt ad *Culicis* vss. 1—3:

Lusimus, Octavi, *gracili* modulante Thalia,
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum,
Lusimus: hæc propter culicis sint carmina dicta,

et ad *Cul.* vss. 35—36:

Mollia sed *tenui pede* currere carmina, *versu*,
Viribus apta suis Phœbo duce *ludere* gaudet.[1]

Iam, quod ad Culicem Pseudovergilianum attinet, carmen hoc a falsario quodam Vergilium inepte imitante[2] profectum esse plurimi viri docti consentunt;[3] cumque Octavius ille vs. 1. nominatus, vss. 27—25. numinis loco invocatus:

[1] Cf. infra adn. exeg. ad Ciris vss. 19—20.

[2] *Skutsch* quidem de Culice (cf. *Aus Vergils Frühzeit*, p. 126.) hæc scribit: «Ich stehe nicht an auszusprechen, dass die Abhängigkeit von Vergil *nicht in einem Punkte* bewiesen ist, ob sie gleich als eines der sichersten Fakten hingestellt zu werden pflegt». O miram hominis audaciam! Quæ tamen non diu iam manebit inulta: proximo enim anno publici iuris faciam editionem Culicis commentario exegetico instructam, ubi totum carmen scatere imitationibus Vergilianis a falsario de industria adhibitis ita demonstrabo, ut nullus remaneat dubitationi locus.

[3] De *Culice* rectissime iudicavit *Ribbeck* (cf. *Geschichte der römischen Dichtung*, II. p. 350.): «Auf der unklaren Nachricht, dass Vergil Mitschüler des Octavian bei dem Rhetor Epidius gewesen sei, wurde jene Widmung aufgebaut und dem Zögling der catullischen Dichterschule zur Vervollständigung eine Jugendsünde im Stil des gelehrten Miniaturepos aufgebürdet, wobei der Verfasser sich Mühe gab, aus sämtlichen Werken Vergils gewisse Paradestellen auszulesen, an welche sich der Culex anlehnt, als ob in ihm bereits die Keime zu allen späteren Schöpfungen und Stilarten des grossen Dichters niedergelegt wären. Die Leichtgläubigkeit selbst der poetischen Zunftgenossen hat dem in der That knabenhaften Machwerk Boden geschafft.»

Et tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi *venerande*, meis adlabere cœptis,

vs. 26. et 37. *sancte puer* appellatus, cui poeta vss. 37—38. vaticinatur:

et tibi crescet
Gloria perpetuum lucens, mansura per ævum,

certe nullus alius nisi Iulii Cæsaris propinquus, postea Octavianus dictus esse possit. falsarium Octaviano vivo tale mendacium ausum esse non est credibile. *Culex* igitur non potuit ante Tiberii imperatoris tempora scribi atque Vergilio supponi. Ergo ne alter quidem falsarius, imitator Culicis et Cataleptorum, auctor Ciris, poterat ante Tiberii imperium carmen suum pseudepigraphum componere.

Ceterum falsarius noster multo fuit doctior, quam auctor Culicis: perdidicit enim accuratissime Bucolica, Georgica totamque Aeneidem, Catalepta Vergiliana et Pseudovergiliana, ut omnia hæc opera facillime potuerit, partim ad verbum pæne exscribendo, partim colorem tantum stili, elocutionis artisque metricæ proprietates sequendo, in quavis carminis sui parte imitari. Præterea, cum sciret Lucretium a Vergilio sæpissime imitando expressum esse in Bucolicis et Georgicis, in opere Vergilio iuveni supponendo diligentissime secutus est magnifici carminis *De rerum natura* auctorem: cumque Vergilium in Cataleptis Catulli discipulum fuisse pervidisset eique epyllion arte cantorum Euphorionis compositum tribuere vellet, expilavit cum totum Catullum, tum præcipue epyllion de nuptiis Pelei et Thetidis* ab initio usque ad finem etiam artis metricæ Alexandrinæ elegantias callidissime obser-

* Catull. Carm. 64.

vans, interdum Calvum quoque et Cinnam respiciens. Memor denique elegiæ in Messallam triumphantem Cataleptis insertæ, quam Vergilianam esse putaverat, Cirin a Vergilio huic Messallæ dedicatam finxit.

Sed, cum simius iste peritissimus esset totius poeseos aureæ ætatis neque quidquam furtis Lucretianis, Catullianis et Vergilianis de suo addere posset, quod certe vitare maluerat, fecit imprudens: expressit enim non sponte imitando non solum Ciceronem poetam et philosophum, non solum Horatium, Tibullum, Lygdamum, Panegyricum in Messallam,[1] Propertium Ovidiumque totum, sed etiam Manilii Astronomica et Cæsaris Germanici Aratea, itaque cum opus Germanici post Augusti mortem inter annos 14. et 19. (p. Chr. n.) scriptum Tiberioque imperatori dedicatum sit, falsarius alioquin versutissimus fetum suum non ante Tiberii imperium natum esse hac quoque re invitus arguit.

Ansam epyllii de Scylla, Nisi filia, scribendi dedit Vergilius ipse Georg. I. 404—409,[2] ubi Parthenii Metamorphoses[3] imitando expressit:

> Apparet liquido sublimis in aere Nisus
> Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo:
> Quacumque illa levem fugiens secat æthera pinnis,
> Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
> Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
> Illa levem fugiens raptim secat æthera pinnis.[1]

[1] Hoc carmen pseudepigraphum Propertio adulescentulo vindicaci in editione *Lygdami* (sumptibus Acad. Litt. Hung. Budapestini, MCMVI.) p. 88. sqq.

[2] Eodem modo ansam Culicis scribendi dedit Vergilius Georg. III. 420—424. et Moreti componendi Ecl. 2, 10—11.

[3] Cf. Eustath. et schol. ad Dionys. Perieg. 420. et paraphras. Ὀρνιθιακῶν Dionysii II. 14. (p. 119. ed. Duebner in parte altera Poet. bucol. et didact.)

Falsarius igitur, cum Vergilium familiarem fuisse Parthenii et alibi quoque sæpius poetæ Nicæni vestigia legisse sciret,[2] in Latinum transtulit eam Metamorphoseon partem, ubi narrabatur fabula de Scylla in avem mutata. De suo addidit dedicationem ad Messallam (vss. 1—47.) et fabularum diversarum ad Scyllam pertinentium enumerationem (vss. 48—91.) invocationemque Musarum (vss. 92—100.); inde a vs. 101. autem usque ad finem secutus est narrationem Parthenii non verbum verbo vertens, sed mira cum arte dicendi genere interdum Catulliano et Lucretiano, plerumque Vergiliano usus.

Propositum falsarii fuisse videtur epyllium Parthenianum Maroni suppositum et Messallæ dedicatum venditare Tiberio imperatori, de quo Suetonius (in vita, c. 70.): «Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit. In oratione Latina secutus est *Corvinum Messallam*, quem senem adulescens observarat . . . Fecit et Græca poemata imitatus Euphorionem et Rhianum et *Parthenium*, quibus poetis admodum delectatus scripta omnium et imagines publicis bibliothecis inter veteres et præcipuos auctores dedicavit, et *ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt*». Eadem de causa falsarius addidisse videtur recensionem fabularum de Scylla diversarum (vss. 48—91.), ut vita Tiberii Suetoniana (ibidem) docemur: «Maxime tamen curavit (Tiberius) *notitiam historiæ*

[1] Vss. 406—409, ad verbum exscripsit falsarius in fine Ciris vss. 538—541.

[2] A Parthenio sumptum est etiam *Moretum* Pseudoverg. secundum scholiastam libri manuscripti Ambrosiani apud I. G. Vossium de poetis græc. p. 70; «Parthenius Moretum scripsit in Græco, quem Virgilius imitatus est».

fabularis usque ad ineptias atque derisum; nam et grammaticos, quod genus hominum præcipue, ut diximus,[1] appetebat, eiusmodi fere quæstionibus experiebatur: quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare sint solitæ?» Fuisse autem inter Tiberii comites, qui tale quid facere possent, luculenter apparet ex Hor. Epist. I. 3., 15. sqq., ubi de Albinovano Celso, Tiberii scriba, hæc dicit:

Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quærat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo,
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.[2]

Falsarius, quod voluit, effecit: carmen enim eius sine ulla suspicione Vergilio tribuit tota antiquitas poetæque inde a Lucano usque ad Claudianum, ut a Vergilio profectum, imitabantur, quod in commentario nostro suis locis luculenter, opinor, demonstravimus.

Ceterum Ciris, qualiscumque est, nobis quoque grata esse potest eam ob causam, quod præter Nuptias Pelei et

[1] Cf. Sueton. vit. Tiber. c. 56: «Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime adquiescebat . . . cum soleret ex lectione cotidiana quæstionem super cenam proponere et comperisset Seleucum grammaticum a ministris suis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire, primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit».

[2] Cf. ad hunc locum *Kiesslingii* adnotationem: «Der Hor. Epist. I. 8. als *comes* und *scriba* des Tiberius genannte Albinovanus Celsus hat sich auch in Versen versucht, welche aber in ihren Anklängen an lateinische Dichter die Originalität in ähnlicher Weise vermissen lassen mochten, wie das bei dem Verfasser der *Ciris* der Fall ist, den man wegen seiner Anleihen bei Catull und Virgil sich versucht fühlen könnte mit Celsus zu identifiziren».

Thetidis Catullianas solum ad nos pervenit exemplum epyllii vere Alexandrini,* quare etiam iis, qui historiæ poeseos Græcorum scribendæ operam navant, multa præbet notatu digna.

* De *Ciri* rectissime disputavit *Schanz* in *Historia Litterarum Romanarum* (II. 1. p. 71. edit. secund.): «Nach der Art der Alexandriner sucht der Dichter seine Belesenheit kundzugeben, er berichtet daher im Eingang (54.) die verschiedenen Sagen von Scylla; bei der Britomartis erläutert er kurz die anderen Namen derselben (303.): endlich bringt er seine geographischen Kentnisse als Schmuck des Gedichts an. In der Form verrät die häufige Anwendung der Parenthese den Alexandriner. Um eine gleichmässig über alle Teile des Mythus sich erstreckende Dichtung ist es dem Verfasser nicht zu tun. Manches wird nur kurz behandelt, z. B. das Verhältnis des Minos zur Scylla, wie der weitere Verlauf der Sache nach dem Verrat der Scylla. Auch greift der Dichter sogar der Entwicklung der Handlung vor (190.). Nur einige Teile werden aus dem Mythus ausgewählt, und zwar solche, welche ein *πάθος* in sich schliessen».

CIRIS.

Simia quam similis, turpissima bestia, nobis.
Ennius apud Cic. Nat. De. I. 33.

CIRIS.

Etsi me, vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suaves expirans hortulus auras
Florentis viridi sophiæ complectitur umbra,
Nec mens *quivit* * eo dignum *Tibi* quærere carmen
(Longe aliud studium atque alios accincta labores
Altius ad magni suspexit sidera mundi
Et placitum paucis ausa est ascendere collem):
Non tamen absistam cœptum detexere munus,
In quo iure meas utinam requiescere Musas
Et leviter blandum liceat deponere amorem.
Quod si mirificum sophiæ *nemus omne tenerem*
(Mirificum, *Valeri*, modo sit Tibi *nosse* libido),
Si me iam summa sapientia pangeret arce,
Quæ tribus antiquis heredibus est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humiles possem contemnere curas,
Non ego Te talem venerarer munere tali,
Non equidem, quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli libeat pede claudere versum;
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo.

* Emendationes meæ litteris, quæ dicuntur, cursivis sunt expressæ.

Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,
Cum levis alterno zephyrus concrebruit euro
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix illa dies, felix et dicitur annus,
Felices, qui talem annum videre diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,
Magna Giganteis ornantur pepla tropæis,
Horrida sanguineo pinguntur prœlia cocco;
Additur aurata deiectus cuspide Typhon,
Qui prius, Ossæis consternens æthera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale deæ velum sollemni tempore portant;
Tali Te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis,
Aeterno ut sophiæ coniunctum carmine nomen
Nostra Tuum senibus loqueretur pagina sæclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore nervos,
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et iuvenes exegimus annos,
Accipe dona meo multum vigilata labore
Promissa atque diu iam tandem exordia *sumant*:
Impia prodigiis ut quondam exterrita magnis
Scylla novos avium sublimis in aere cœtus
Viserit et tenui conscendens æthera pinna
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis,
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Pro patria solvens, excisa et funditus urbe.

Complures illam et magni, Messalla, poetæ
(Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)
Longe ali perhibent mutatam membra figura
Scyllæum monstro saxum infestare voraci;
Illam esse, errantis quam sæpe legamus Ulixi,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicantur Homero.
Ipse Cratæin ait matrem; sed sive Cratæis,
Sive illam monstrum genuit grave Echidna biformis,
Sive est neutra parens atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido,
Sive etiam iactis speciem *est* mutata venenis
Infelix virgo (quid enim commiserat illa?
Ipse pater timidam vacua complexus harena
Coniugium castæ violaverat Amphitrites;
Attamen exegit longo post tempore pœnas,
Ut, cum cura sui veheretur coniugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum),
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes,
Et cupidos quæstu passim popularet amantes,
Horribiles circum vidit se sistere formas
Piscibus et canibusque malis vallata repente est
(Heu quotiens mirata novos expalluit artus,
Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!),
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum
Et dictam Veneri votorum avertere pœnam;
Quam, mala multiplici iuvenum quod sæpta caterva

Vixit eratque animo meretrix iactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse
Docta Palæpaphiæ testatur voce papyrus:
Quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
Somnia sunt: potius liceat notescere cirin
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare, quæ cantus *meditate emittere vestros*
Magna mihi cupido tribuistis præmia, divæ
Pierides, quarum castos alabastria postes
Munere sæpe meo inficiunt foribusque hyacinthi
Dependent flores aut suave rubens narcissus
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha
Sparsaque liminibus floret rosa, nunc age, divæ,
Præcipue nostro nunc adspirate labori
Atque novum æterno prætexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinæ sedibus urbes
Actæos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentia litora conchis,
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Alcathoi quondam munita labore,
Alcathoi Phœbique: deus namque adfuit illi;
Unde etiam citharæ voces imitatus acutas
Sæpe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
Et veterem sonitu Phœbi testatur amorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infestam populator remige Minos,
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito
Carpathium fugiens et flumina Cæratea
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Carica Cretæa sternebat rura sagitta.
Sed neque tum cives, neque tum rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas

Reicere et indomitum virtute retundere Martem,
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite *in* summo regis (mirabile dictu)
Candida cæsaries *florebat* tempora *circum*,
At roseus medio surgebat vertice crinis:
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
Concordes stabili *formarant nemine* Parcæ.
Ergo omnis caro residebat cura capillo,
Aurea sollemni comptum quem fibula ritu
Cecropiæ tereti nectebat dente cicadæ.
  Nec vero hæc urbis custodia vana fuisset
Nec ruerat, ni Scylla novo correpta furore,
Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulchrum,
O nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Iuppiter (ille etiam Pœnos domitare leones
Et validas novit vires mansuescere tigris,
Ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est),
Idem tum tristes acuebat parvulus iras
Iunonis magnæ, cuius fera iurgia divæ
Olim ipsæ metuere *et cui* peritura puella
Nulli non sanctam violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata deæ lascivit et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem
Et tumidos agitante sinus aquilone relaxans.
Necdum etiam castos gustaverat ignis honores,
Necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ:
Cum lapsa e manibus fugit pila, quoque ea lapsa est,

Procurrit virgo. Quod uti ne prodita ludo
Auratam gracili solvisset corpore pallam!
Omnia, quæ retinere gradum cursusque morari
Possent, o tecum velamina semper haberes:
Non umquam violata manu sacraria divæ
Iurando, infelix, nequiquam iure piasses.
Etsi quis nocuisse tibi periuria credat?
Causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum iniuria iactu,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tætro nimium torrentia viro
Virginis in tenera defixit acumina mente.

Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem
Et validum penitus concepit in ossa furorem,
Sæva velut gelidis Edonum Bistonis oris
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
(Infelix virgo!) tota bacchatur in urbe,
Non storace Idæo fragrantes tincta capillos,
Coccina non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens bacata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
Sæpe redit patrios adscendere perdita muros
Phœbeasque facit causam se visere turres;
Sæpe etiam tristes volvens in nocte querellas
Sedibus ex altis caeli speculatur *honorem*
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit, carum non respicit aurum,
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ,
Non arguta sonant tenui psalteria chorda.
Nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis

Tabidulamque videt labi per viscera mortem,
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur et horribili præceps impellitur œstro,
Ut patris, a demens, crinem de vertice sectum
Furtimque arguto *desponsum* mitteret hosti:
Namque hæc condicio miseræ proponitur una

. . . .

Sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanti sceleris damnare puellam?),
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)

. . . .

Nise pater, cui direpta crudeliter urbe
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi extructo possis considere nido,
Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides silvas lucosque sonantes
Incolitis, gaudete, vagæ blandæque volucres,
Vosque adeo, humanos mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellæ
Dauliades, gaudete: venit carissima vobis,
Cognatos augens reges numerumque suorum,
Ciris et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas præverrite in æthera nubes,
Qua novus ad superum sedes haliæetos et qua
Candida concessos adscendet ciris honores.

Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio *servabat* inani,
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia temptat
Et pressis tenuem singultibus aera captat.

Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur ferroque manus armata bidenti
Provolat; at demptæ subita in formidine vires.
Cæruleas sua furta prius testatur ad *auras:*
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paullum remoratur et alte
Suspicit ad celsi nictantia sidera mundi,
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo),
Corripit extemplo fessam languore puellam
Et simul: «O nobis sacrum caput — inquit — alumna,
Non tibi nequiquam viridis per viscera pallor
Aegrotas tenui suffudit sanguine venas,
Nec levis hanc faciem (neque enim pote) cura subedit.
Haud fallor (quod ut o potius, Rhamnusia, fallar):
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
Nec gravidos Cereris dicam contingere fetus,
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Iurabas nihil esse mihi, cur mæsta parentis
Formosos circum virgo remorere capillos?
Ei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabæ Myrrhæ quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando (quod ne sinat Adrastea)
Lædere utrumque uno studeas errore parentem!
Quod si alio quovis animi iactaris amore
(Nam te iactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo),

Si concessus amor noto te macerat igne,
Per tibi Dictynæ præsentia numina iuro,
Prima deum quæ mi dulcem te donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Milia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus et senio patiar tabescere tali.»
  Hæc loquitur, mollique ut se nudavit amictu,
Frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta crocota.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
Persequitur miseræ causas exquirere tabis,
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit *intus*.
Illa autem: «Quid me — inquit — io nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi est; ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago,
Sed media ex acie mediisque ex hostibus. Heu, heu,
Quid dicam quove ægra malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem, quoniam tu me non dicere, nutrix,
Non sinis: extremum hoc munus morientis habeto.
Ille (vides), nostris qui mœnibus adsidet hostis,
Quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi,
(Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis),
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod per te divum crebros testamur amores
Perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnæ,
Ut me, si servare potes, ne perdere malis:

Sin autem optatæ spes est incisa salutis,
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus o malus, optima Carme,
Ante in conspectum casusve deusve tulisset,
Aut ferro hoc» (aperit ferrum, quod veste latebat)
«Purpureum patris dempsissem vertice crinem,
Aut mihi præsenti peperissem vulnere letum».
Vix hæc ediderat, cum clade exterrita tristi
Incanos multo deturpat pulvere crines
Et graviter questu Carme complorat anili:
«O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostræ Minos inimice senectæ!
Nempe in Creta olim natæ te propter eundem,
Nunc amor insanæ lētum portavit alumnæ!
Tene ego tam longe captiva avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, o bis iam exitium crudele meorum?
Iam iam nec nobis æquo senioribus ullum,
Vivere uti cupiam, vivit genus. A! quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulchri,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ
Venatus esses virgo sectata virorum,
Gnosia neu Partho contendens spicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Numquam tam obnixe fugiens Minois amores
Praeceps aerii specula de montis abisses,
Unde alii fugisse ferunt et numen Aphææ
Virginis adsignant; alii, quo notior esses,
Dictynam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim; mihi certe, nata, peristi.
Numquam ego te summo volitantem in vertice montis

Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum non sic gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra *remansit*
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
Tene, o sola meæ vivendi causa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequiquam capta lepore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me, infelix, aut quæ me fata reservant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentes prætexat purpura canos,
Quæ tenuis patrio spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum:
Sin est, quod metuo, per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miseræ mihi rebus amorem,
Per te sacra precor per *numinaque* Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam nulla mente feraris.
Non ego te incepto (fieri quod non pote) conor
Flectere amore neque est cum dis contendere nostrum,
Sed patris incolumi potius denubere regno
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates.
Hoc unum exilio docta atque experta monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere (sed poteris: quid enim non unica possis?),
Tum potius tamen ista, pio cum iure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis,
Tum potius conata tua atque incepta referto;
Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texitur ordine, longum».

His ubi sollicitos animi relevaverat æstus
Vocibus et blanda pectus spe luserat ægrum,
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis et placidam tenebris captare quietem,
Inversi bibulum restinguens lumen *olivi*,
Incipit ad crebrosque insani pectoris ictus
Ferre manum, adsiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mæsta super morientis alumnæ
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus *egit*
Et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta,
Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ
(Hesperium vitant, optant ardescere Eoum),
Præceptis paret virgo nutricis et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Temptantur patriæ submissis vocibus aures
Laudanturque bonæ Pacis bona; multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit
Communemque timere deum, nunc regis amicis
(Namque ipsi verita est) orbum flet mæsta parentem,
Cum Iove communes qui nolit habere nepotes;
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit et divum terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quærit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates,
Ut, cum cæsa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Iungere et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix, patula componens sulfura testa,
Narcissum casiamque herbas incendit olentes
Terque novena ligans triplici diversa colore

Fila: «Ter in gremium mecum — inquit — despue virgo,
Despue ter virgo: numero deus impare gaudet.»
Inde agno venerata *Orcum* (furialia sacra,
Sacra nec Idæis anibus nec cognita Grais),
Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines nec possunt flectere divi
(Tanta est in parvo fiducia crine cavendi),
Rursus ad inceptum sociam se iungit alumnæ
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Tam longo quod iam captat succurrere amori,
Non minus illa tamen, revehi quod mœnia Cressa
Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto.
  Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
Tum capitur Megara et divum responsa probantur,
Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare cæruleum trahitur Niseia virgo.
Complures illam nymphæ mirantur in undis,
Miratur pater Oceanus et candida Tethys
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores,
Illam etiam, iunctis magnum quæ piscibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee parvusque dea cum matre Palæmon.
Quin etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad cælum infelix ardentia lumina tendens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas:

«Supprimite o paullum turbati flamina venti.
Dum queror et divos (quamquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ,
. . . .
Vos, Pandionia si *quæ* de gente venitis:
Cernitis, illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla (quod o salva liceat te dicere, Procne).
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus:
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere coniunx
Dicta tibi: tamen hæc, etsi non *respicis*, audi.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot adsiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio, quod sic patriam carosque penates
Hostibus immitique addixi ingrata tyranno.
Verum istæc, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset fœdera casus,
Facturos, quorum, direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi;
Te vero victore prius vel sidera cursus
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui: iam iam scelus omnia vincit.
Tene ego plus patrio dilexi perdita regno?
Tene ego? Nec mirum, vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Non equidem ex isto speravi corpore posse
Tale malum nasci: forma vel sidera fallas.
Me non deliciis commovit regia dives,
Dives curalio fragili et lacrimoso electro,

Me non florentes æquali corpore nymphæ,
Non metus incensam potuit retinere deorum.
Omnia vicit Amor: quid enim non vinceret ille?
Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos accendet pinus honores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.
Magna queror: me ne illa quidem communis alumna
Omnibus iniecta Tellus tumulabit harēna.
Mene inter matres ancillarumque catervas,
Mene alias inter famularum munere fungi
Coniugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses!
Iam fesso tandem fugiunt de corpore vires
Et caput inflexa lentum cervice recumbit,
Marmorea adductis tabescunt bracchia nodis.
Aequoreæ pristes, immania corpora ponti,
Undique conveniunt et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Iam tandem casus hominum, iam respice, Minos!
Sit satis hoc, tantum Scyllam vidisse malorum,
Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis,
Vel casu incerto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius quam te fecisse putabo».
Labitur interea resoluta ab litore classis,
Magna repentino sinuantur lintea coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessæ
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusam faucibus Isthmon,
Cypselidæ magni florentia regna Corinthum;
Præterit abruptas Scironis protinus arces
Infestumque suis diræ testudinis exit

Spelæum multoque cruentas hospite cautes.
Iamque adeo tutum longe Piræea cernit
Et notas eheu frustra *prospectat* Athenas.
Iam procul e fluctu Salaminia respicit arva
Florentesque videt iam Cycladas: hinc sinus illi
Sunius, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Aegæo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon
Marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donysam
Belbinamque simul sementiferam *atque* Seriphum.
  Fertur et incertis iactatur ad omnia ventis,
Cumba velut, magnas sequitur cum parvula classes
Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo,
Donec tale decus formæ vexarier undis
Non tulit ac miseros mutavit virginis artus
Cæruleo pollens coniunx Neptunia regno.
Sed tamen *egregiam* squamis vestire puellam
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites):
Aeriis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.
Ac velut in niveo tenera est cum primitus ovo
Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore,
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus
Semiferi, incertis etiam nunc partibus, artus
Undique mutabant atque undique mutabantur.
Oris honos primum et multis optata labella
Et patulæ frontis species concrescere in unum
Cœpere et gracili mentum producere rostro;

Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Puniceam concussit apex in vertice cristam;
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus
Lentaque perpetuas fuderunt bracchia pinnas.
Hinc feminis partes minioque infecta rubenti
Crura nova macies obduxit squalida pelle
Et pedibus teneris ungues adfixit acutos.
At tamen hoc demum miseræ succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
Numquam illam posthac oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas,
Non thalamus Syrio fragrans accepit amomo,
Nullæ illam sedes: quid enim cum sedibus illi?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cælum stridentibus extulit alis
Et multum late dispersit in æquora rorem,
Infelix virgo nequiquam e morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit ævum,
Rupibus et scopulis et litoribus desertis.
Nec tamen hoc ipsum pœna sine: namque deum rex,
Omnia qui imperio stellarum milia versat,
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater extinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe nitentum
Sanguine taurorum supplex resperserat aras,
Sæpe deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam
Fecitque in terris haliæetos ales ut esset:
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.
Huic vero miseræ, quoniam damnata deorum

Iudicio, pactique et coniugis, ante fuisset,
Infesti adposuit odium crudele parentis.
Namque ut in ætherio signorum *tramite* præstans,
Unum quem duplici stellarunt munere divi,
Scorpios *æterno* clarum fugat Oriona,
Sic inter sese tristes haliæetos iras
Et ciris memori servant ad sæcula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pinnis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pinnis.

ADNOTATIONES EXEGETICÆ.

... si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus ...

Hor. Epist. I. 3, 18—20.

V. 1—4. *Etsi me* etc., vss. 1—9. falsarius imitatur exordium carminis Catull. 65. (vss. 1. sqq.): «*Etsi me* adsiduo confectum cura dolore Devocat a doctis, Ortale, virginibus, *Nec potis est* dulcis Musarum expromere fetus *Mens* animi (tantis . . .), Sed *tamen* in tantis mæroribus, Ortale, mitto Hæc expressa tibi carmina Battiadæ.» — *vario iactatum laudis amore*, poeticæ laudis, ex Lucret. I. 916—919: «sed acri Percussit thyrso *laudis spes* magna meum cor Et simul incussit suavem mi in pectus *amorem Musarum*» et III. 46—47: «Hinc licet advertas animum magis omnia *laudis iactari causa*, quam quod res ipsa probetur.» — *vario iactatum . . . amore*, tamquam fluctu æstuoso cupiditatis gloriæ; ex Catull. 64, 97—98: «Qualibus incensam *iactastis* mente puellam Fluctibus», Verg. Aen. IV. 564: «*varioque* irarum fluctuat *æstu*» et ibid. XII. 486: «*vario* nequiquam fluctuat *æstu*», Propert. II. 5, 11—13: «Non ita Carpathiæ *variant* aquilonibus undæ, Nec dubio nubes vertitur atra noto, Quam facile irati verbo mutantur amantes.» — *fallacis præmia vulgi*, præmium a populo fallaci (instabili) datum est gloria ipsa (hoc loco carminibus parta), quæ sæpius comparatur cum honoribus a populo Romano alicui delatis; ex Hor. Ep. I. 16, 31—35: «Nempe Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu. Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut, si Detulerit fascis indigno, detrahet idem: Pone, meum est — inquit, — pono tristisque recedo», ibid. I. 19, 35—40: «Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus: Non ego *ventosæ plebis suffragia* venor Impensis cenarum et tritæ munere vestis. Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor Grammaticas *ambire*

tribus et pulpita dignor». ibid. II. 2. 102—103: «Multa fero, ut placem genus irritabile vatum, cum scribo et supplex *populi suffragia* capto». ibid. I. 6. 7—8: «Ludicra quid *plausus* et amici *dona Quiritis* Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?», Hor. Carm. I. 1, 7—8: «*mobilium* turba *Quiritium* Certat tergeminis tollere honoribus», ibid. II. 16, 39—40: «*malignum* Spernere *vulgus.*» — *Cecropius suaves exspirans hortulus auras Florentis viridi sophiæ complectitur umbra,* ex Catull. 64. 87: «(virgo) Regia, quam *suavis exspirans* castus odores Lectulus in molli *complexu* matris alebat» et Verg. Aen. I. 693-694: «ubi mollis amaracus illum *Floribus* et dulce* *adspirans complectitur umbra.*» — *Cecropius . . . hortulus,* non hortus ipse Epicuri Atheniensis, sed sensu translato: ratio Epicuri; falsarius enim certe scivit Vergilium non Athenis, sed Romæ apud Sironem operam dedisse philosophiæ Epicureæ perdiscendæ; cf. Prop. III. 21. 25—26: «vel studiis animum emendare Platonis Incipiam aut *hortis,* docte Epicure, tuis.» — *suaves exspirans . . . auras,* odores, cf. Lucret. III. 222. «Spiritus unguenti *suavis* diffugit in *auras*» et Verg. Ge. IV. 415-416: «at illi Dulcis compositis *spiravit* crinibus *aura*» et Aen. I. 403-404: «Ambrosiæque comæ divinum vertice *odorem Spiravere.*» — *Florentis . . . sophiæ,* ex Lucret. III. 9—12. (ad Epicurum: «Tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis Suppeditas præcepta, tuisque ex, inclute, chartis, *Floriferis* ut apes in *saltibus* omnia libant, Omnia nos itidem depascimur aurea dicta» et Verg. Ge. IV. 563-564: «Illo Vergilium me tempore dulcis alebat Parthenope, *studiis florentem* ignobilis *oti.*» — *viridi . . . umbra,* fronde ex Verg. Ecl. 9, 19—20: «quis humum *florentibus* herbis Spargeret aut *viridi* fontes induceret *umbra?*» — *sophiæ,* sapientiæ; ἀρχαΐζει ex industria falsarius. *Sophia* pro sapientia occurrit Enn. Ann. 227. et Afran. com. 299.

V. 5-8. *Nec mens quivit eo dignum tibi quærere carmen,*

* Cf. infra Excurs. I.

nec carmen scribere potui te dignum, cum poeticis studiis depositis me totum philosophiæ Epicureæ dedidissem. Ex Lucret. V. 1—2: «Quis *potis est dignum* pollenti pectore *carmen* Condere.» — *Nec mens*, ex coniectura Puetzii; cf. infra adn. crit. — *quivit*, ex mea coniectura: cf. ibidem. — *eo*, ideo: ob id ipsum, quia nunc philosophiæ soli operam do. — *dignum tibi quærere carmen*, ex Lucret. I. 727—728: «Nunc age dicta meo dulci *quæsita* labore Percipe» et III. 419 420: «*Conquisita* diu dulcique reperta labore *Digna tua* pergam disponere *carmina* cura» et Cul. Pseudoverg. 10: «Ut *tibi digna* tuo poliantur carmina sensu.» *tibi*, alloquitur Messallam infra vs. 13. nominatum. *Tibi* ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *Longe aliud*, eadem verba initio hexametri Lucret. IV. 446, V. 1065, 1070, 1081. Cf. infra vs. 56: «Longe alia.» — *aliud studium*, non poeticum, sed studia philosophiæ. — *alios accincta labores*, cum accusativo simplici, ut Verg. Aen. IV. 493: «magicas invitam accingier artes.» — *Altius ad magni suspexit sidera mundi*, ut infra vss. 217—218: «alte Suspicit ad celsi nictantia sidera mundi.» Alludit ad studium philosophiæ naturalis; ex Cic. Tusc. I. 34, 82: «Video te alte spectare et velle in cælum migrare.» — *Altius*, sc. studiis poeticis altius. — *ad magni suspexit sidera mundi*, ex Lucret. V. 1204: «Nam cum *suspicimus magni* cælestia *mundi* Templa» et ibid. 423: «*magni sidera mundi*.» Catull. 16, 1: «Omnia qui *magni dispexit* lumina *mundi*.» Verg. Ge. IV. 58—59: «Hinc ubi iam emissum caveis *ad sidera* cæli Nare per æstatem liquidam *suspexeris* agmen» et Aen. VI. 733—734: «neque *auras Dispiciunt* clausæ tenebris et carcere cæco.» — *sidera mundi*, eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. 9, 93: «torquet qui *sidera mundi*.» — *mundi*, cæli, ut infra vs. 218. — *Et placitum paucis ausa est ascendere collem*, quia vulgus abhorret a studio philosophiæ; cf. Lucret. IV. 18 20: «hæc ratio plerumque videtur Tristior esse, quibus non est tractata retroque Vulgus abhorret ab hoc.» — *placitum*, placentem: ex Verg. Ge. II. 425: «et *placitam* Paci mutritor olivam», Aen. IV. 38: «*pla-*

citone etiam pugnabis amori». ibid. X. 15: «*placitum* læti componite fœdus.» — *ascendere collem*, ex Verg. Aen. I. 419: «Iamque ascendebant collem.» — *collem*, montem philosophiæ, ex Lucret. II. 8: «Edita doctrinæ, sapientum templa serena.»

V. 9—11. *absistam*, desinam, ut Verg. Aen. VI. 399: «absiste moveri» et ibid. VIII. 403—404: «absiste precando Viribus indubitare tuis.» — *cœptum detexere munus*, ex Lucret. I. 418: «cœptum *pertexere* dictis» et VI. 42: «Quo magis inceptum pergam *pertexere* dictis»; Verg. Aen. VI. 629: «*cœptum* perfice *munus*» et Catal. 14, 1: «Si mihi *susceptum* fuerit decurrere *munus*.» — *detexere*, huic verbo adiungitur infra vs. 21. carminis de rerum natura comparatio cum texto pepli. — *In quo iure meas utinam requiescere musas Et leviter blandum liceat deponere amorem*, falsarius fingit Vergilium philosophia Epicurea captum poeticæ arti valedicere velle; ex Verg. Catal. 5, 11—13: «Ite hinc Camenæ, vos quoque ite iam sane, Dulces Camenæ: nam fatebimur verum, Dulces fuistis.» — *iure*, nam studium philosophiæ iusta est causa, cur Musis valedicat. — *requiescere*, sensu transitivo! Cf. infra adn. ad vs. 233. «Quo rapidos etiam *requiescunt* flumina cursus.» — *leviter*, poesis levis opponitur gravi philosophiæ studio; cf. Hor. Carm. I. 6, 19—20: «Cantamus vacui sive quid urimur, Non præter solitum *leves*.» — *blandum liceat deponere amorem*, sc. amorem Musarum, studia poetica; ex Lucret. I. 919—920: «Et simul incussit *suavem* mi in pectus *amorem* Musarum»; Verg. Ge. II. 475—476: «Musæ, Quarum sacra fero ingenti percussus *amore*» et Ecl. 7, 21: «Nymphæ, noster *amor, Libethrides*.» — *blandum . . . amorem*, ex Lucret. I. 19: «Omnibus incutiens *blandum* per pectora *amorem*.» — *deponere amorem*, ex Catull. 76, 13: «Difficile est longum subito *deponere amorem*.» — *amorem*, ex coniectura Leopardi; cf. infra adn. crit.

V. 12—13. *Quod si mirificum sophiæ nemus omne tenerem*, si totam iam Epicuri disciplinam perdidicissem. — *sophiæ nemus*, horti Epicurei, ut supra vs. 4: «sophiæ umbra.» Philo-

sophi Epicurei vocabantur *οἱ ἀπὸ κήπων*. — *sophiæ*, supplevit Ellis. — *nemus*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *nemus omne tenerem*, ex Verg. Ecl. 6, 11: «Te *nemus omne* canet» et Aen. VIII. 314: «Hæc *nemora* indigenæ fauni nymphæque *tenebant*.» — *omne tenerem*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *tenerem*, possiderem. — *Mirificum, Valeri, modo sit tibi nosse libido*, parenthesis. — *Mirificum*, emphatice iteratum ex vs. præcedente. — *Valeri*, falsarius fingit Vergilium alloqui M. Valerium Messallam iuvenem, qui imperante Augusto erat inter principes civitatis fautorque poetarum, præcipue Tibulli et Ovidii. Ceterum *Valeri* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *modo sit tibi nosse libido*, ex Cul. Pseudoverg. 230: «modo sit tibi* grata voluntas»; cf. Verg. Aen. II. 349—350: «si vobis audentem extrema cupido Certa sequi.» — *nosse*, sc. perdiscere totam Epicuri rationem; cf. Lucret. I. 325—326. (ad Memmium): «Quod tibi *cognosse* in multis erit utile rebus Nec sinet errantem dubitare et quærere semper De summa rerum.» Ceterum *nosse* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *libido*, cupido; cf. Lucret. IV. 761—763: «quod cuique *libido* Venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum Anne voluntatem nostram simulacra tuentur.»

V. 14—17. *Si me iam summa sapientia pangeret arce*, respicit vs. 8: «Et placitum paucis ausa est ascendere collem.» — *in summa . . . pangeret arce*, in monte summo sisteret, ut Verg. Aen. II. 245: «monstrum infelix sacrata sistimus arce» et ibid. VI. 676: «Hoc superate iugum et facili iam tramite sistam.» — *pangeret*, figeret; audacter pro *sisteret*. Falsarius respexisse videtur Hor. Sat. II. 3, 293—294: «mater delira necabit (filium) In gelida *fixum* ripa.» — *Quæ tribus antiquis* etc., pronomen referendum ad *arce* (vs. 14.) — *Quæ tribus*, ex coniectura mea; cf. infra adn. crit. — *tribus antiquis heredibus*, intellegendi sunt tres heredes Epicuri: Hermarchus, cui scholam, et Amynomachus Timocratesque, cui

* Cf. infra Excurs. II.

rem familiarem reliquit. Falsarius ante oculos habuit Cic. De fin. II. 101. (testamentum Epicuri): «ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione, itemque omnibus mensibus vicesimo die Lunæ dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur.»* — *consors*, communis, ut Verg. Ge. IV. 153—154: «Solæ communes natos, consortia tecta Urbis habent.» — *Unde hominum errores longe lateque per orbem Despicere atque humiles possem contemnere curas*, ex Lucret. II. 7, 199: «Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere Edita doctrinæ, sapientum templa serena, *Despicere* unde queas alios passimque videre *Errare* atque viam palantis quærere vitæ.» Lucretium et Cirin simul ante oculos habuit Stat. Silv. II. 2, 131: «celsa tu mentis ab arce Despicis errantes humanaque gaudia rides.» — *longe lateque per orbem*, ex Verg. Aen. VI. 378: «longe lateque per urbes.» — *Despicere atque humiles possem contemnere curas*, cf. Lucret. II. 14: «O miseras hominum mentes, o pectora cæca» et Ov. Met. XV. 150—151: «Palantesque homines passim et rationis egentes Despectare procul.»

V. 18—20. *Non ego te talem venerarer munere tali*, i. e. tu dignior esses magnificentiore munere; cf. Val. Flac. VIII. 95: «*Non ego te* sera *talem* sub nocte videbam.» — *Non equidem*, initio hexametri, ut Verg. Ecl. 1, 11; Aen. IV. 330, VIII. 129, X. 793.—*quamvis interdum ludere nobis Et gracilem molli libeat pede claudere versum*, quamvis scripserim carmina levioris argumenti, ut librum Catalepton et Culicem. Falsarius *Cirin* post Catalepton et Culicem a Vergilio scriptam esse fingit et alludit ad Cul. Pseudoverg. vss. 1—3. et 35—36: «*Lusimus*, Octavi, *gracili* modulante Thalia Atque, ut araneoli, tenuem formavis orsum, *Lusimus*: hæc propter culicis sint carmina dicta . . . *Mollia* sed *tenui pede* currere carmina, *versu* Viribus

* Cf. Excurs. XII.

apta suis Phœbo duce *ludere* gaudet.» — *ludere*, referendum ad poemata erotici aut iocosi argumenti. — *gracilem molli . . . pede . . . versum*, levis mollisque sonus epigrammatum et epylliorum opponitur graviori duriorique sono carminum didacticorum et epicorum. — *molli . . . pede*, quia hexameter in epylliis usitatus mollitie differre debet a hexametro heroico duriore, unde e. gr. versus spondiaci frequens apud Alexandrinos et imitatores eorum Romanos usus, pentameter autem elegiis et epigrammatibus proprius *κατ᾽ ἐξοχὴν mollis versus* a poetis Romanis vocari solet. — *pede claudere versum*, pangere versus, ex Hor. Sat. I. 4, 40: «concludere versum», ibid. 5, 59: «pedibus quid claudere senis», ibid. II. 1, 28: «me pedibus delectat claudere verba.» — *gracilem . . . versum*, leviora poeseos genera (epigrammata, elegias, epyllia) significat; ex Prop. II. 13, 3: «(Amor) me tam *graciles* vetuit contemnere Musas», Ov. Pont. II. 5, 26: «Materiæ *gracili* sufficit ingenium», Cul. 1: «*Lusimus . . . gracili* modulante Thalia.»

V. 21—22. *Sed magno intexens . . . peplo*, carmen didacticum comparat cum texto pepli Minervæ in Panathenæis oblati; ante oculos habuit Paneg. in Mess. 5—6: «Nec tua præter te *chartis intexere* quisquam Facta queat» et Cul. Pseudoverg. 1—2: «Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia, Atque ut araneoli tenuem formavis orsum.» — *intexens . . . peplo*, cf. adn. supra ad vs. 9: *detexere*. — *si fas est dicere*, ad cœpti audaciam referendum: si licet mihi tantum carmen promittere. — *peplo*, commemoratur etiam apud Verg. Aen. I. 479—480: «Interea ad templum non æquæ Palladis ibant Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.» — *Qualis Erechtheis olim portatur Athenis*, ex Manil. I. 882—883: «*Qualis Erechtheos* pestis populata colonos Extulit antiquas per funera pacis *Athenas*.» — *Erechtheis*, ab Erechtheo, rege prisco Athenarum. — *olim*, i. e. suo tempore.

V. 23—26. *Debita . . . vota*, ut Prop. I. 16, 44: «Debitaque occultis vota tuli manibus.» — *castæ . . . Minervæ*, ut Hor. Carm. III. 3, 23: «Castæque damnatam Minervæ»; apud Catull.

4*

64, 212. *casta diva* est Minerva. — *Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,* ex Ov. Met. X. 219: «Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.» — *redeunt quinquennia,* redit festum quinquennale; nam Panathenæa celebrabantur Athenis quinto quoque anno, tertio anno cuiusque Olympiadis. — *Cum levis alterno zephyrus concrebruit euro,* tempus Panathenæorum designat, quæ prius quidem æstate, mense Hecatombæone, celebrabantur, sed postea initio veris celebrari cœperant. Pugna autem zephyri mitis cum euro frigido significat initium veris; ex Catull. 46, 1—3: «Iam ver egelidos refert tepores, Iam cæli furor æquinoctialis Iucundis *zephyri* silescit auris» et Verg. Ge. IV. 305: «Hoc geritur zephyris primum impellentibus undas.» Cirin imitatur Claudian. 20, 95—96: «Mitior *alternum zephyri* iam bruma *teporem* Senserat et *proni* (cf. infra vs. 26.) laxabant germina flores.» — *zephyrus concrebruit,* ex Catull. 64, 274: «(undæ) Post *vento* exercente magis magis *increbrescunt*» et Verg. Ge. I. 359: «et nemorum *increbrescere murmur*» et Hor. Sat. II. 5, 93: «mone, si *increbruit aura.*» — *zephyrus . . . Et prono gravidum provexit pondere currum,* i. e. navem illam rotis instructam, quæ in sollemni Panathenæorum pompa trahebatur, in cuius malo suspensus erat πέπλος deæ destinatus. Versum imitatur Sil. Ital. II. 196: «Quadrupedes iactant resupino *pondere currum.*» — *prono . . . pondere,* ex Catull. 62, 51: «Sed tenerum *prono* deflectens *pondere* corpus.» — *currum,* navem. Poeta ex industria imitatur Catull. 64, 8—10. (de nave Argo): «Diva quibus (sc. Argonautis) retinens in summis urbibus arces Ipsa levi fecit volitantem flamine *currum,* Pinea coniungens inflexæ texta *carinæ.*»

V. 27. *Felix illa dies, felix et dicitur annus,* ut Manil. V. 568: «Felix illa dies redeuntem ad litora duxit.»

V. 29—31. *Ergo Palladicæ texuntur in ordine pugnæ,* locus classicus de peplo Minervæ cum Eurip. Hec. 466. sqq. comparandus. Peplo enim intextæ erant res a dea gestæ, præcipue pugnæ cum Titanibus et Gigantibus commissæ. — *Ergo Palladicæ,* ut Moret. Pseudoverg. 113: «Ergo Palladii guttas instillat

olivi.» — *Palladiæ . . . pugnæ,* cf. Hor. Carm. I. 12, 20—21: «Pallas . . . prœliis audax» et Eurip. Ion. 1528: *παρασπίζουσα ἅρμασί ποτε Ζηνὶ γηγενεῖς ἔπι.* — *in ordine pugnæ,* ex Verg. Aen. I. 456: «videt Iliacas *ex ordine pugnas.*» — *Magna Giganteis ornantur pepla tropæis,* ex Ov. Fast. V. 555: «Digna *Giganteis* hæc sunt delubra *tropæis.*» — *Horrida . . . prœlia,* ex Verg. Ge. II. 282: «horrida miscent Prœlia.» — *sanguineo pinguntur cocco,* ex Verg. Ecl. 6, 22: «*Sanguineis* frontem moris et tempora *pingit*» et Hor. Carm. II. 12, 2—3: «Siculum mare Pœno *purpureum sanguine.*» — *pinguntur,* sc. acu.

V. 32—34. *Additur aurata* etc., vss. 32—34. ex Verg. Ge. I. 279—283: «sævumque *Typhoea* Et coniuratos cælum rescindere fratres. Ter sunt conati imponere Pelio *Ossam* Scilicet atque Ossæ frondosum involvere *Olympum*: Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.» — *aurata . . . cuspide,* hasta Minervæ, quæ erat cuspide aurata instructa. — *deiectus . . . Typhon,* ex Hor. Carm. III. 4, 53—58: «Sed quid *Typhoeus* et validus Mimas . . . Contra sonantem *Palladis* ægida Possent ruentes?» — *Ossæis consternens æthera saxis,* Typhon Pelion imposuit Olympo, Pelio autem Ossam et saxis Ossæis iaculabatur deos in æthere habitantes. — *consternens æthera saxis,* ex Verg. Aen. IX. 663: «Sternitur omne solum telis.» — *æthera,* cælum, sedem deorum. — *Emathio . . . duplicabat vertice Olympum,* Pelion imposuit Olympo. — *Emathio,* Thessalico.

V. 35—38. *Tale deæ velum sollemni tempore portant, Tali te,* ex Verg. Catal. III. 9—10: «*Tale deæ* numen, *tali* mortalia nutu Fallax momento temporis hora dedit.» — *iuvenum doctissime,* erat enim Messalla et poeta bonus (cf. Verg. Catal. IX. 13. sqq.) et orator clarissimus. Industriam Messallæ adulescentuli laudat Cic. ad Brut. I. 15. — *Purpureos inter soles et candida lunæ Sidera,* falsarius Vergilio consilium tribuit carminis de rerum natura scribendi; ante oculos habuit Verg. Ge. II. 475—478: «Me vero primum dulces ante omnia Musæ, Quarum sacra fero ingenti percussus amore, Accipiant cælique vias et *sidera* monstrent, Defectus *solis* varios *lunæque* labo-

res.» — *Purpureos inter soles*, splendentes, ex Verg. Aen. VI. 640: «et lumine vestit *Purpureo solemque* suum, sua sidera norunt.» — *soles*, pluralis radios solis significat. — *candida lunæ Sidera*, ex Verg. Aen. VII. 8: «nec *candida* cursus *Luna* negat.» — *candida . . . Sidera*, ut Lucret. V. 1210: «quæ *candida sidera* verset.» — *cæruleis orbem pulsantia bigis*, ex Verg. Aen. X. 215—216: «almaque *curru* Noctivago *Phœbe* medium *pulsabat Olympum*» et Cul. Pseudoverg. 283—284: «Labentes *biiuges* etiam per *sidera Luna* pressit equos» et ibid. 43. (de Sole): «*Candidaque* aurato *quatiebat* lumina *curru*.» — *cæruleis . . . bigis*, obscuris, nocturnis: opponuntur nitidis Solis quadrigis; cf. Ov. Trist. I. 3. 28: «Lunaque *nocturnos* alta regebat *equos*.» Epitheton inepte positum, cum præcedat (vs. 37.) *candida*.

V. 39—41. *Naturæ rerum magnis intexere chartis*, ex Lucret. IV. 969: «*naturam* quærere rerum Semper et inventam patriis exponere *chartis*.» — *intexere chartis*, ex Paneg. in Mess. 5—6: «Nec tua præter te *chartis intexere* quisquam Facta queat.» — *Aeterno . . . sophiæ . . . carmine*, ut infra vs. 100: «Atque novum æterno prætexite honore volumen»: ex Lucret. I. 115: «Ennius *æternis* exponit *versibus*» et Paneg. in Mess. 34: «*Aeterno* sed erunt tibi *magna* volumina *versu*.» — *Aeterno ut*, ex mea coniectura, cf. infra adn. crit. — *nomen Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis*, ex Catull. 77. 9—10: «nam te omnia *sæcla* Noscent et qui sis fama *loquetur anus*.» — *senibus . . . sæclis*, seris temporibus: ex Catull. 95. 6: «Zmyrnam *cana* diu *sæcula* pervoluent.» — *loqueretur pagina*, locum imitatur Claudian. 29. 162: «Antiquos *loquitur* Musarum *pagina* reges.» — *pagina*, carmen, ut Verg. Ecl. 6. 12: «quæ Vari præscripsit *pagina nomen*.»

V. 42—43. *ad tantas nunc primum nascimur artes*, inepte dictum: philosophiæ studio nunc primum nos dedidimus. — *teneros firmamus robore nervos*, ut Verg. Aen. II. 639: «solidæque suo stant robore vires» et Cic. Fam. VI. 1. 3: «quantum in cuiusque animo roboris est et nervorum.»

V. 44—47. *Hæc tamen interea, quæ possumus . . . Accipe dona meo multum vigilata labore,* ex Catull. 101, 7. sqq.: «Nunc tamen *interea hæc*, prisco *quæ* more parentum Tradita sunt tristes *munera* ad inferias, *Accipe* fraterno *multum* manantia fletu.» — *Prima rudimenta et iuvenes exegimus annos*, versum imitatur Stat. Achill. I. 478: «Cruda *rudimenta* et *teneros* formaverit *annos*.» — *iuvenes exegimus annos*, falsarius fingit Vergilium ad exemplum Cinnæ, Calvi et sociorum plures annos huic epyllio conficiendo sacrasse. — *iuvenes . . . annos*, ex Ov. Met. VII. 295: «iuvenes nutricibus annos» et ibid. XIV. 139: «ut peterem iuvenes quoque protinus annos.» — *Accipe dona meo multum vigilata labore*, ex Cinnæ fragm. 3. (ed. L. Mueller): «Hæc tibi Arateis *multum vigilata* lucernis Carmina» et Verg. Ecl. 8. 11—12: «accipe iussis Carmina cœpta tuis.» — *Promissa atque diu*, supple: *carmina*, ut Hor. Epod. 14. 7—8: «Inceptos, olim promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere.» — *Promissa atque*, coniunctio *atque* secundo loco sententiæ, ut infra vs. 445: «Coniugis *atque* tuæ.» — *exordia sumant*, ex Lucret. I. 143: «Principium cuius hinc nobis *exordia sumet*» et Verg. Aen. IV. 284: «quæ prima *exordia sumat*?» — *sumant*, ex coniectura mea; cf. infra adn. crit.

V. 48—51. *prodigiis ut quondam exterrita magnis*, ex Verg. Aen. III. 307: «magnis exterrita monstris» et ibid. VII. 376: «ingentibus excita monstris.» — *prodigiis . . . magnis*, prodigium est Scyllæ in avem mutatio. — *exterrita . . . sublimis in aere*, ex Verg. Aen. V. 215—216: «(columba) Fertur in arva volans plausumque *exterrita* pinnis Dat tecto ingentem, mox *aere lapsa* quieto». — *magnis*, ex vetere coniectura; cf. infra adn. crit. — *Scylla novos avium . . . cœtus Viserit*, ex Catull. 64, 407: «Quare nec tales dignantur *visere cœtus*» et Ov. Met. XIV. 390—391: «Seque *novam* subito Latiis accedere silvis Indignatus *avem*.» — *Scylla . . . sublimis in aere*, ex Verg. Ge. I. 404: «sublimis in aere Nisus.» — *Viserit*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *conscendens æthera pinna*, ex Ov. Met. III. 299: «Aethera conscendit» et Verg. Aen. I.

381: «conscendi ratibus æquor» et Verg. Ge. I. 406: «secat æthera pinnis» = Aen. XI. 272. — *Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis*, ex Verg. Ecl. 6, 81: «et quibus ante Infelix *sua tecta super volitaverit alis.*» Falsarius alioquin callidus hoc loco inepte imitatur Vergilium: nam, quod Vergilius rectissime dixit de Philomela, id parum caute ad Scyllam transtulit. Scylla enim, ut vss. 493. sqq. docemur, in alto mari in avem versa est; non potuit igitur statim sua tecta supervolitare. Cf. etiam vss. 512 513. et 518—519: «Non thalamus Syrio fragrans accepit amomo, Nullæ illam sedes: quid enim cum sedibus illi . . . Incultum solis in rupibus exigit ævum, Rupibus et scopulis et litoribus desertis.» — *Cæruleis . . . alis*, est enim avis marina, unde epitheton.

V. 52—53. *Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo . . . solvens*, ex Verg. Ge. I. 405: «Et *pro purpureo pœnam dat* Scylla *capillo.*» Cf. paraphras. *Ὀρνιθιακῶν* Dionysii (II. 14, p. 119. ed. Duebner): *Ἡ δὲ κιρρὶς ἀξίαν τῶν ἀσεβημάτων δίδωσι δίκην . . . κἂν ἁλιαίετος αὐτὴν θεάσηται πλανωμένην, εὐθὺς ἐπιθέμενος διαφθείρει.* — *excisa et funditus urbe*, ex Verg. Aen. II. 637: «excisa . . . Troia» et ibid. XII. 594: «concussit funditus urbem.»

V. 54—57. *Complures illam et magni . . . poetæ*, falsarius alludit ad poetas, qui Scyllam, filiam Nisi, non in cirin, sed in monstrum marinum mutatam esse narraverunt; ante oculos habuit Verg. Ecl. 6, 74—76: «Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates»; Ov. Am. III. 12, 21—22: «Scylla patri caros furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes» et A. A. I. 331—332: «Filia purpureos Nisi furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes»; Propert. IV. 4, 39—40: «Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos Candidaque in sævos inguina versa canes?» — *Nam verum fateamur*, ex Verg. Catal. 5, 12: «Dulces Camenæ, *nam fatebimur verum.*» — *amat Polyhymnia verum*, cf. Catul. 62, 16: «*amat* victoria curam» et Verg. Ecl. 3, 59: «*amant*

alterna *Camenæ.»* — *mutatam membra figura*, ex Ov. Met. IX. 81: «tauro mutatus membra rebello.» — *Scyllæum monstro saxum infestare*, ex Ov. Am. II. 11, 18: «Quas *Scylla infestet* quasque Charybdis aquas» et Met. XIII. 730: «*Scylla* latus dextrum, lævum inrequieta Charybdis *Infestant.*» — *Scyllæum . . . saxum*, promunturium Italiæ in freto Zanclæo, sedes monstri. — *monstro . . . voraci*, ex Ov. Ib. 385: «Ut quos *Scylla vorax.*»

V. 58—61. *errantis quam sæpe legamus Ulixi . . . Dulichias vexasse rates*, ex Verg. Aen. III. 620—621: «Talia monstrabat relegens *errata* retrorsus Litora Achæmenides, comes infelicis *Ulixi*» et Propert. II. 14, 3: «Non sic *errore* exacto lætatus *Ulixes*, Cum tetigit caræ litora *Dulichiæ*». — *errantis*, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη; ex coniectura Ellisii, cf. infra adn. crit. — *sæpe legamus*, apud multos scriptores. — *Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates et gurgite in alto*, ad verbum ex Verg. Ecl. 6, 75—76. — *Deprensos nautas canibus lacerasse marinis*, ex Verg. Ecl. 6. 77: «A! timidos *nautas canibus lacerasse marinis.*» — *in alto . . . Deprensos nautas* quos Scylla necopinato rapere solebat; ex Verg. Ge. IV. 420: «*Deprensis* olim statio tutissima *nautis*» et Hor. Carm. II. 16, 1—2: «*in patenti Prensus* Aegæo.»

V. 62—65. *Mæoniæ . . . chartæ*, Homeri carmina; ex Ov. Ep. ex Pont. IV. 12, 27: «Dignam *Mæoniis* Phæacida condere *chartis*»; cf. Paneg. in Mess. 200: «Posse *Meleteas* nec mallem vincere *chartas.*» — *malus istorum . . . auctor*, verisimiliter Euphorion.* — *istorum*, poetarum, qui Scyllam, Nisi filiam, in monstrum marinum mutatam esse narraverunt. — *dubiis erroribus*, cf. Paneg. in Mess. 106: «At non per *dubias errant* mea carmina laudes» et Lucret. I. 326: «Nec sinit *errantem dubitare.*» — *Namque alias alii vulgo finxere puellas*, ex Lucret. V. 327: «Non *alias alii* quoque res cecinere poetæ?» — *Colophoniaco . . . Homero*, septem urbes Homerum sibi vindi-

* Cf. infra Excurs. III.

cabant: *Σμύρνα Ῥόδος Κολοφὼν Σαλαμὶς Χίος Ἄργος Ἀθῆναι.* — *Scyllæ*, numerus pluralis, quia unusquisque mythologus novam quasi Scyllam sibi fingere videtur.

V. 66—67. *ipse*, Homerus. — *Cratæin ait matrem*, sc. Hom. Od. XII. 124. Cf. Apoll. Rhod. IV. 826—827: *Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκῳ Νυκτίπολος Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κράταιιν* et Ov. Met. XIII. 749. (de Scylla): «Cratæide natam.» — *ait*, scripsit Heyne; cf. infra adn. crit. — *Cratæis*, ex Aldina II.; cf. infra adn. crit. — *monstrum . . . grave Echidna biformis*, ex Hauptii coniectura: cf. infra adn. crit. — *monstrum . . . Echidna biformis*, cf. Hesiod. Theog. 297—299: *Ἔχιδναν, Ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρῃον, Ἥμισυ δ᾽ αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε.* Secundum Hygin. Fab. Præf. Echidna ex Typhone concepit Scyllam, unde apud Val. Flacc. IV. 928. Scylla nominatur *Typhonis*. — *monstrum . . . grave*, ingens, ex Cul. Pseudoverg. 166. (de serpente): «Obvia vibranti carpens *gravis* ore trilingui.»

V. 68—69. *atque hoc in carmine toto Inguinis est vitium et Veneris descripta libido*, sive allegorica est fabula et canes ex utero Scyllæ exstantes nihil nisi Veneris immoderatam libidinem significant. Fabulam re vera ita interpretatur Heraclit. in Alleg. Homer. p. 496.

V. 70—73. *iactis . . . venenis*, in mare iactis; cf. infra vss. 76. — *speciem est*, scripsi; cf. infra adn. crit. — *Infelix virgo*, eadem verba initio hexametri Manil. V. 587; Verg. Ecl. 6. 97. et Calv. Fragm. 9. (ed. Lucian. Mueller): «A virgo infelix.» — *quid enim commiserat illa*, ex Ov. Met. VII. 25: «quid enim commisit Iason?» — *Ipse pater*, Neptunus: ex Catull. 64, 21: «pater ipse» = Neptunus. — *vacua . . . harena*, in litore deserto. — *vacua*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *Coniugium castæ violaverat Amphitrites*, adulterio violavit coniugem Amphitriten; ex Catull. 67, 23—24: «Sed *pater* illius gnati *violasse cubile* Dicitur» et Ov. Am. II. 7, 17—18: «Cypassis Obicitur dominæ contemerasse torum.» Cirin imitatur Claudian. 37, 40: «*Coniugium castamque* cupit *violare* Minervam.» —

Amphitrites in fine versus, ut infra vs. 486: idem nomen (casu accus.) in fine hexametri spondiaci Catull. 64, 11.

V. 74—76. *Attamen exegit longo post tempore pœnas*, sc. Amphitrite; ex Ov. Met. IV. 190: «*Exigit* indicii *memorem* Cythereia *pœnam.*» — *cum cura sui veheretur coniugis alto. Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum*, similem fabulam narrat de Scylla venenis Circes mutata Ov. Met. XIV. 51. sqq.: «Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus, Grata *quies Scyllæ*: quo se referebat ab æstu Et maris et cæli, medio cum plurimus orbe Sol erat et minimas a vertice fecerat umbras. Hunc dea *prævitiat* portentificisque *venenis* Inquinat; his *fusis* latices radice nocenti *Spargit* et obscurum verborum ambage novorum Ter noviens carmen magico demurmurat ore. Scylla venit mediaque tenus descenderat alvo, Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris Adspicit.» — *cura sui . . . coniugis*, amica Neptuni; cf. Verg. Catal. 5. 6: «Tuque o mearum cura, Sexte, curarum.» — *Ipsa*, sc. Amphitrite. — *trucem . . . pontum*, ex Verg. Catal. 9, 47: «Sæpe *trucem* adverso perlabi sidere *pontum*»; cf. Catull. 64, 179: «Ponti truculentum . . . æquor.» — *multo misceret sanguine pontum*, sanguine quodam venenato, ut Scylla e nave in undas præcipitata in monstrum mutaretur.

V. 77—80. *Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes*, ex Cic. Arat. 447: «Cum quibus, ut *perhibent*, ausa est contendere *forma*»; cf. Verg. Ge. I. 247: «Illic, *ut perhibent*» et Aen. IV. 179: «Seu vero, *ut perhibent.*» — *Et cupidos quæstu . . . popularet amantes*, erat enim meretrix, ut infra vs. 86. docemur. — *Horribiles* etc. vs. 80. ante 79. posuit Haupt; cf. infra adn. crit. — *Piscibus et canibusque malis vallata*, ex Lucret. V. 36: «Hydra venenatis . . . *vallata* colubris.»

V. 81—84. *Heu quotiens mirata novos expalluit artus, Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus*, ex Ov. Met. II. 489—491. (de Callisto in ursam mutata): «*A! quotiens*, sola non ausa quiescere silva, Ante domum quondamque suis erra-

vit in agris, *A! quotiens* per saxa canum *latratibus* acta est» ibid. Met. XIV. 60 63. (de Scylla): «Cum sua fœdari *latrantibus* inguina monstris Adspicit ac primo credens non corporis illa Esse sui partes *refugitque* abigitque *timetque* Ora proterva canum.» — *mirata novos . . . artus,* ex Ov. Her. 14, 93. (de Io in vaccam mutata) «quid te *miraris* in umbra? Quid numeras factos *ad nova membra* pedes?» Locum Ciris imitatur Claudian, 18, 294: «Scylla *novos mirata* canes.» — *expalluit,* verbum occurrit Catull. 64, 100: «Quanto sæpe magis fulgore *expalluit* auri!» *Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus,* ex Ov. Met. I. 638. (de Io in vaccam mutata): «*Pertimuitque* sonos *propriaque* exterrita *voce* est.» *Et dictam Veneri votorum avertere pœnam,* Venerem pecunia vota fraudare; agitur enim de pecunia illa, quam meretrices tamquam quæstus sui decumas huic deæ vovere solebant. — *dictam,* promissam, ut Terent. Heaut. V. 1, 64: «Quid dotis dicam te *dixisse* filio» et ibid. 69: «Me mea omnia bona doti *dixisse* illi.» - *votorum . . . pœnam,* pecuniam ex voto debitam; nam, qui voto se obligavit, est voti reus, et, qui voti compos factus est, voti *damnatus.* — *avertere,* tamquam furari; cf. Catull. 64, 5: «Auratam optantes Colchis *avertere* pellem» et Verg. Aen. VIII. 207 208: «Quattuor a stabulis præstanti corpore tauros *Avertit.*» Ceterem *avertere* est coniectura Scaligeri; cf. adn. crit. ad h. l.

V. 85- 88. *Quam, mala* etc., alludit ad explicationem mythi rationalem, quam Heraclitus (*περὶ ἀπίστων* cap. 2. = *Westermann:* Mythogr. p. 313.) nobis servavit: *περὶ Σκύλλης. Λέγεται περὶ ταύτης, ὅτι κατήσθιε τοὺς παραπλέοντας. Ἦν δ' αὕτη νησιῶτις καλὴ ἑταίρα καὶ εἶχε παρασίτους λοιμούς τε καὶ κυνώδεις, μεθ' ὧν τοὺς ξένους κατήσθιεν, ἐν οἷς καὶ τοὺς Ὀδυσσέως ἑταίρους.* - *multiplici iuvenum . . . sæpta caterva,* habebat multos amicos et parasitos, quibuscum una opes hospitum consumpsit, quare poetæ in monstrum canibus cinctum mutatam esse eam perhibent. - *eratque animo meretrix iactata ferarum,* animo avaro et rapaci erat, ut feræ; cf. Catull.

64, 97: «Qualibus incensam *iactastis mente* puellam fluctibus.» — *iactata*, de cupiditatibus animi, ut supra vs. 1: «vario *iactatum* laudis amore.» *Infamem tali merito rumore fuisse*, merito finxerunt poetæ Scyllam, meretricem rapacem, in tale monstrum esse mutatam. *Docta Palæpaphiæ testatur voce papyrus*, testatur poema quoddam, cuius auctor a Venere edoctus hanc fabulam narravit. Hunc poetam Callimachum fuisse suspicari licet ex Callim. fr. 184. (ed. Schneider): *Σκύλλα γυνὴ κατάκασσα* (i. e. meretrix) *καὶ οὐ ψύθος οὔνομ'* (i. e. haud absurdam famam) *ἔχουσα*. Videtur igitur Callimachus narrasse more suo (cf. exordium Aetiorum) in somno apparuisse sibi Venerem et fabulam de Scylla meretrice exposuisse. — *Palæpaphiæ*, Veneris; est enim Palæpaphos urbs Cypri Veneri grata; cf. Strab. p. 683: *Παλαίπαφος . . . ὕφορμον ἔχουσα καὶ ἱερὸν ἀρχαῖον τῆς Παφίας Ἀφροδίτης* et Pomp. Mel. II. 7, 5: «Salamis et Paphos et, quo primum ex mari Venerem egressam accolæ adfirmant, *Palæpaphos*.» — *papyrus*, liber, ex Catull. 35, 1—3: «Poetæ tenero, meo sodali Velim Cæcilio, *papyre*, dicas Veronam veniat.» Ceterum *papyrus* est lectio editionis Aldinæ primæ; cf. infra adn. crit.

V. 89—91. *ut quisque est tali de clade locutus, Somnia sunt*, ex Lydiæ vss. 44—45: «nisi vilis fama *locuta est Somnia*.» — *tali de clade*, de hac infelici metamorphosi. — *Somnia sunt*, vana commenta populi et poetarum; cf. Lucret. I. 98—99. (ad Memmium): «Quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt *Somnia*, quæ vitæ rationes vertere possint.» — *Somnia*, ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. — *cirin*, avem marinam, in quam Scylla, Nisi filia, mutata est. — *unam ex multis Scyllam non esse puellis*, non esse puellam plebeiam neque meretricem, sed regis filiam; cf. Cic. De fin. II. 20, 66. (de Virginio plebeio): «Tenuis L. Virginius *unusque de multis*.»

V. 92—96. *Quare . . . Pierides*, ut Cul. Pseudoverg. 18: «*Quare Pierii* laticis decus, ite sorores.» — *cantus meditate emittere vestros Magna mihi cupido tribuistis præmia, divæ*,

i. e. o Musæ, quæ mihi cantus vestros meditate emittere cupienti et conanti magna præmia dedistis; quæ carminibus meis *prioribus* magna cum cura perpolitis atque ita editis prosperos dedistis successus. His aptissime adiungitur infra vs. 99: «Præcipue nostro *nunc* adspirate labori.» — *cantus . . . vestros* i. e. carmina, poemata: ex Catal. Pseudoverg. 9, 7—8 «*vestros* (i. e. Musarum) expromere *cantus* Maximus.» — *cantus meditate emittere*, i. e. magna cum cura præparare atque ita edere. Scriptor ante oculos habuit Catull. 62, 12—16: «Adspicite, innuptæ secum ut *meditata* requirunt. Non frustra *meditantur*: habent, memorabile quod sit. Nos alio mentes, alio divisimus aures: Iure igitur vincemur: amat victoria *curam*.» Cicero quoque loquitur de «accuratis ac *meditatis* commentationibus» et oratio *meditata* apud Plinium et Tacitum opponitur orationi subitæ. Cf. etiam Plin. Paneg. 3: «*meditatum* carmen» i. e. bene præparatum. — *meditate emittere vestros*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *divæ Pierides*, ex Verg. Ecl. 10, 70—72: «Hæc sat erit, *divæ*, *vestrum* cecinisse poetam . . . *Pierides*.» — *quarum castos*, etc., vss. 94—98, falsarius ad se transtulit, quæ de amatore dixit Lucret. IV, 1153, sqq.: «At lacrimans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit postesque superbos Unguit amaricino.» — *castos alabastria postes Munere sæpe meo inficiunt*, castos postes templi Musarum unguentis suaveolentibus inficio; ex Catull. 66, 82—83: «iucunda mihi *munera* libet *onyx*, Vester *onyx*, *casto* petitis quæ iura cubili» et Propert. II, 13, 30: «Cum dabitur Syrio *munere* plenus *onyx*.» — *alabastria*, alabaster est vasculum unguentarium plerumque ex onyche factum; cf. Cic. fragm. apud Non 15, 17: «Quibus etiam *alabaster* unguenti putere videatur» et Theocr. 15, 114: *Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα*. Forma deminut. *ἀλαβάστριον* occurrit apud Polluc. 10, 120. Ceterum *alabastria* est coniectura Bergkii: cf. infra adn. crit. — *Dependent*, ex coniectura Heinsii: cf. infra adn. crit. et Popert. I, 16, 7 (ianua de se): «Et mihi non desunt turpes *pendere* corollæ.» — *flores aut suave rubens narcissus*, ex Verg. Ecl.

3, 63: «lauri et *suave rubens* hyacinthus.» — *narcissus,* in fine hexametri spondiaci, ut *narcisso* Verg. Ecl. 5, 38. eodem versus loco.

V. 97—100. *Aut crocus alterna coniungens lilia caltha,* corona, in qua lilia crocis et calthis iunguntur; ex Verg. Ecl. 2, 48 50: «Narcissum et florem *iungit* bene olentis anethi. Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis, Mollia *luteola* pingit vaccinia *caltha.*» — *Sparsaque liminibus floret rosa,* ex Ov. A. A. III. 72. «Sparsa nec invenies limina mane rosa.» — *divæ . . . nostro nunc adspirate labori,* ex Verg. Aen. II. 385: «*adspirat* primo Fortuna *labori*» et ibid. IX. 525: «Vos, o *Calliope,* precor, *adspirate* canenti» et Ov. Met. I. 2—3: «*di, cœptis . . . adspirate* meis.» — *æterno prætexite honore volumen,* æternum decus (famam) date libro meo; ex Lucret. I. 28: «Quo magis *aeternum* da dictis, *diva, leporem.*» — *prætexite honore,* quasi limbo purpureo; cf. Ov. Pont. III. 8. 7: «Purpura sæpe tuos fulgens *prætexit* amictus», unde *toga prætexta.*

V. 101—103. *Pandioniis . . . sedibus,* Athenis, quarum rex antiquus erat Pandion, filius Erichthonii, pater Erechthei, Procnes et Philomelæ. Cf. Lucret. VI 1134: «(pestis) Incubuit tandem populo Pandionis omni» et Ov. Met XV. 430: «Quid *Pandioniæ* restant nisi nomen Athenæ.» — *Actæos . . . colles,* Atticos, ut Verg. Ecl. 2, 24: «Actæo Aracyntho.» — *candida Thesei Purpureis late ridentia litora conchis,* litora Isthmi, quæ regio abundabat marmore (unde *candida)* conchite, cui plurimæ inerant conchæ marinæ in lapidem versæ, ut Pausan. I. 44. docemur: *μόνοις δὲ Ἑλλήνων Μεγαρεῦσι ὁ κογχίτης οὗτός ἐστιν . . . ἄγαν λευκὸς καὶ ἄλλου λίθου μαλακώτερος. κόγχοι δὲ αἱ θαλάσσιαι διὰ παντὸς ἔνεισίν οἱ.* — *Thesei . . . litora,* cf Strab. IX p. 391: *μετὰ δὲ Κρομμυῶνα ὑπέρκεινται τῆς ἀκτῆς αἱ Σκειρωνίδες πέτραι πάροδον οὐκ ἀπολείπουσαι πρὸς θαλάττῃ·ὑπὲρ αὐτῶν δ' ἐστὶν ἡ ὁδὸς ἡ ἐπι Μεγάρων καὶ τῆς Ἀττίκης ἀπὸ τοῦ Ἰσθμοῦ . . . ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται τὰ περὶ τοῦ Σκείρωνος καὶ τοῦ Πιτυοκάμπτου τῶν ληζομένων τὴν*

λεχθεῖσαν ὀρεινήν. οὓς καθεῖλε Θησεύς. — *Purpureis . . . ridentia litora conchis*. ex Lucret. II. 374–376: «*Concharumque* genus parili ratione videmus Pingere telluris gremium, qua mollibus undis *Litoris* incurvi bibulam pavit æquor harenam» et ibid. 501–502: «*Purpura* Thessalico *concharum* infecta colore Caudaque pavonum *ridenti* imbuta lepore.» — *ridentia*, fulgentia, ut Lucret. l. l.

V. 104—106. *non ulli fama concedere digna*. ex Catull. 68. 131: «Aut nihil aut paulo cui tum *concedere digna*.» — *Alcathoi . . . labore*. Alcathous, Pelopis filius, Megaræ arcem muris cinxisse putabatur — *Alcathoi Phœbique: deus namque adfuit illi*, operæ socius Alcathoo ipse Phœbus erat; cf. Theogn. 773–774: *Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην, Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.*

V. 107—109. *Unde etiam citharæ voces imitatus acutas Sæpe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus*. cf. Ov. Met. VIII. 14–18 (de muris Megaræ): «Regia turris erat vocalibus addita muris, In quibus auratam proles Letoia fertur Deposuisse *lyram: saxo sonus eius inhæsit*. Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi Et *petere* exiguo *resonantia saxa lapillo*» et Anth. Plan. 279 (εἰς τὸν ἐν Μεγάροις κιθαριστὴν λίθον): *Τόν με λίθον μέμνησο τὸν ἠχήεντα παρέρπων Νισαίην. ὅτε γὰρ πύργον ἐτειχοδόμει Ἀλκάθοος, τότε Φοῖβος ἐπωμαδὸν ἦρε δομαῖον Λᾶα Λυκωρείην ἀνθέμενος κιθάρην. Ἔνθεν ἐγὼ λυραοιδός. ὑποκρούσας δέ με λεπτῇ Χερμάδι τοῦ κόμπου μαρτυρίην κόμισαι.* — *Cyllenia murmura*, sonum lyræ, cuius inventor erat Mercurius in Cyllene, monte Arcadiæ, natus; *Cyllenius* vocatur Mercurius Verg. Aen. IV. 252 et 276. et *Cyllenia proles* ibid. 258. — *Et veterem sonitu Phœbi testatur amorem*, ex Verg. Aen. III. 487: «et longum Andromachæ testentur amorem.»

V. 110—111. *ante alios qui tum florebat in armis, . . . Minos*, ut Verg. Aen. VII. 55: «*ante alios* pulcherrimus omnes Turnus.» — *florebat in armis. Fecerat infestam populator remige Minos*. ex Ov. Met. VII. 456–457: «Bella parat Minos:

qui quamquam milite, quamquam Classe valet» et ibid. VIII. 6: «Interea Minos Lelegeia (i. e. Megarensia) litora *vastat.*»

V. 112—115. *Hospitio quod se Nisi Polyidos* etc., belli causa erat Polyidus *(Πολύειδος)* vates, qui, postquam Glaucum, Minois filium, in vitam reduxit, Creta aufugit (Apollod. III 3) et Megara profectus est hospitio Nisi regis usus. Eum igitur bello repetebat Minos. — *Carpathium*, sc mare, ut Verg. Aen. V. 595: «Carpathium Libycumque secant.» — *flumina Cæratea*, fluvius Cæratus Gnossum urbem alluens; commemoratur apud Callimach. in Dian. 44. — *Gortynius heros*, Cretensis, ut Verg. Ecl. 6, 60: «stabula Gortynia» et Aen. XI. 773: «Gortynia spicula.» — *Carica Cretæa sternebat rura sagitta*, ex Verg. Aen. IX. 666: «sternitur omne solum telis.» — *Carica* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *Carica . . . rura*, regionem Megaræ olim a Lelegibus (i. e. Caribus) habitatam. Ex Ov. Met. VII. 443: «Tutus ad Alcathoen (i. e. Megaram), *Lelegeia* mœnia, limes» et ibid. VIII. 6: «Interea Minos *Lelegeia* litora vastat.»*

V. 116—119. *Sed neque tum cives neque tum rex ipse veretur*, ex Catull. 64, 68: «Sed *neque tum* mitræ *neque tum* fluitantis amictus.» — *ad muros volitantes . . . turmas Reicere*, ex Verg. Aen. XI. 629-630: «Bis Tusci Rutulos egere *ad mœnia* versos. Bis *reiecti* armis.» — *agmine turmas*, eadem verba in fine hexametri Cul. Pseudoverg. 248: «densas supero *agmine turmas.*» — *Reicere*, tres syllabæ; ex Verg. Ecl. 3, 96: «Tityre, pascentes a flumine *reice* capellas.» Ceterum *reicere* est coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. — *indomitum virtute retundere Martem*, ex Verg. Aen. II. 440—441: «Sic *Martem indomitum* Danaosque ad tecta ruentes Cernimus obsessumque acta testudine limen.» — *indomitum . . . Martem*, exercitum Minois, ut Ov. Met. VIII. 7. (de Minoe): «Prætemptatque *sui* vires *Mavortis* in urbe Alcathoi.» — *indomitum*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *retundere*,

* Cf. Excurs. XIII.

reicere, ut Lucan. V. 509—601: «furebat Pontus et in scopulos totas erexerat undas: Occurrit gelidus Boreas *pelagusque retundit*»; cf. etiam Hor Carm. III. 6. 10: «Non auspicatos *contudit* impetus» — *Martem*, ex coniectura Heinsii: cf. infra adn crit — *Responsum . . . satis est meminisse deorum*. oraculi responsum; cf Apollod. III. 210: *(Μίνως) Μέγαρα εἷλε Νίσου βασιλεύοντος τοῦ Πανδίονος . . . ἀπέθανε δὲ καὶ Νῖσος διὰ θυγατρὸς προδοσίαν. Ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι.* — *Responsum . . . deorum*, eodem sensu Verg. Aen. IX. 131—132: «nil me fatalia terrent, Si qua Phryges præ se iactant, *responsa deorum*.»

V. 120—122. *Nam capite in summo regis (mirabile* dictu), ex Aen. VII. 64—65: «Huius apes *summum* densæ *(mirabile dictu)* Obsedere apicem.» — *in*, ex mea coniectura, cf. infra adn. crit. — *mirabile dictu*, eadem verba in fine hexametri Verg. Ge. II. 30. III. 275. Aen. I. 439. II. 174. IV. 182, VII. 64, VIII 252. — *Candida cæsaries florebat tempora circum*, ex Verg. Aen. XII. 161—163: «Latinus Quadriiugo vehitur curru, cui *tempora circum* Aurati bis sex radii *fulgentia* cingunt.» — *Candida*, cana. — *florebat . . . circum*, ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *florebat*, fulgebat, ex Verg. Aen. VII. 804: «*florentes*ære catervas»; cf. Aen. VIII. 593: «*fulgentes* ære catervas.» — *tempora circum*, eadem verba in fine hexametri Verg. Ecl. 8. 12. et Aen. V. 435. — *At roseus medio surgebat vertice crinis*, ex Catull. 64. 309: «At *roseo* niveæ *residebant* (cf. Ciris vs. 126) *vertice* vittæ» et Verg. Aen. X 187: «olorinæ *surgunt* de *vertice* pinnæ» et Ov. Met. VIII. 8—10: «Nisus . . . cui splendidus *ostro* Inter honoratos *medioque in vertice* canos *Crinis* inhærebat.» Non purpureum, sed aureum fuisse Nisi crinem narrat Schol. in Eurip. Hippol. 1200: *ἦν εἱμαρτὸν μὴ παραληφθῆναι τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἦν ὁ Νῖσος, ἕως εἶχε τὸν χρυσοῦν πλόκαμον ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ.*

V. 123—125. *Cuius quam servata diu natura fuisset, Tam* etc., cf. Hygin. Fab. 198 (de Niso): «cui responsum fuit *tam*

diu eum *regnaturum, quamdiu* eum crinem custodisset.» — *patriam incolumem Nisi regnumque futurum*, ex Verg. Aen II 88: «Dum stabat *regno incolumis.*» — *Concordes stabili ormarant nemine Parcæ.* Concordes Parcæ stabili filo neverunt (i. e fatum immutabile destinabant) Nisum tamdiu regnaturum, quamdiu purpureus ille crinis servatus fuisset; ut Antonin Lib. 2. (de Meleagro): *Ἐπέκλωσαν αἱ Μοῖραι ἐπὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἔσεσθαι χρόνον, ἐφ᾽ ὅσον ἂν ὁ δάλος διαμένοι.* Ex Verg. Ecl IV. 47: «*Concordes stabili* fatorum *nemine** Parcæ.» Cf. etiam Aen. I. 21 22: «Hinc populum late regem belloque superbum Venturum excidio Libyæ: sic *volvere* Parcas», ubi *volvere* significat: fusos volvere. — *stabili formarant nemine*, immutabili filo neverunt, ut Hom Il. XX. 127—128: *ἅσσα οἱ Αἶσα Γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ* et Hor. Epod. 13, 15—16: «Unde tibi reditum *certo subtemine* Parcæ Rupere.» — *formarant nemine*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *formarant*, neverant; *formare* enim poprie dicitur de ea nendi actione, cum lana informis de colo ducta in fili formam redigitur; ex Catull. 64, 311—314. (de Parcis nentibus): «Læva colum molli lana retinebat amictum, Dextera tum leviter *deducens fila* supinis *Formabat* digitis, tum prono in pollice torquens Libratum tereti *versabat* turbine fusum» et Cul. Pseudoverg. 2: «ut araneoli tenuem *formavimus* orsum.».

V. 126—128. *Ergo omnis caro residebat cura capillo*, ex Verg. Aen. IV. 139: «*Omnis* in Ascanio *cari* stat *cura* parentis.» — *caro . . . capillo*, ex Ov. Am. III. 12, 21: «Scylla patri *caros* furata *capillos.*» — *Aurea . . . quem fibula . . . tereti nectebat dente cicadæ*, ex Verg. Aen. IV. 139: «*Aurea* purpuream *subnectit fibula* vestem» et ibid. V. 543: «*tereti nectabat fibula* gemma» et ibid. X. 137—138: «fusos cervix cui lactea *crines* Accipit et molli *subnectit* circulus *auro*», et ibid. VII 815—816: «ut *fibula* crinem *Auro internectat.*» —

* Cf. infra Excurs. IV.

sollemni . . . ritu Cecropiæ . . . dente cicadæ, more veterum Atheniensium; cf. Thucyd I. 6. (de Atheniensibus): *καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων . . . οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρώβυλον ἀναδυόμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν.* — *tereti nectebat dente cicadæ*, cf. Lucret. IV. 58: «*Cum teretes* ponunt tunicas æstate *cicadæ*» et ibid. V. 803: «Folliculos ut nunc *teretes* æstate *cicadæ* Lincunt.» — *dente cicadæ*, acumine fibulæ formam cicadæ habentis.

V. 129—132. *hæc urbis custodia*, quam præstabat purpureus Nisi crinis. — *Nec ruerat*, nec ruisset urbs, ex Verg. Aen. II 368: «Urbs antiqua *ruit* multos dominata per annos.» Indicativus pro coniunctivo, ut Verg. Aen XII 112: «Nec *veni* (pro *venissem*), nisi fata locum sedemque *dedissent*» et Catalep. (Pseudoverg.) 9, 25—26: «Non illa Hesperidum ni munere capta *fuisset*, Quæ volucrem cursu *vicerat* Hippomenen.» — *ruerat*, ex coniectura Ribbeckii; cf infra adn. crit. — *novo . . . furore*, insolito; amavit enim hostem. Cf Propert. III. 19, 24: «Nise, tuas portas fraude reclusit amor.» — *patris miseri patriæque inventa sepulcrum*, ex Catull. 68, 89: «Troia (nefas) commune *sepulcrum* Asiæ Europaeque» et Propert. I. 22, 3: «Si Perusina tibi *patriæ* sunt nota *sepulcra*» et Ov. Met. XIII. 422—423: «miserabile visa In mediis Hecabe natorum *inventa sepulcris*.» — *sepulcrum*, exitium. — *O nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis*, ex Lucret. I. 36: «Pascit amore *avidos*, *inhians* in te, dea, *visus*» et Catull. 64, 85: «Magnanimum ad *Minoa* venit sedesque superbas: Hunc simul ut *cupido* conspexit *lumine* virgo» et Verg. Ge. II. 463: «Nec varios *inhiant* pulchra testudine *postes*», ubi *inhiare* iungitur, ut hoc loco, cum accusativo.

V. 133—137. *malus ille puer*, Amor, ex Verg. Ecl. 8, 50. (de Amore): «Improbus ille puer.» — *sua . . . mater*, Venus. — *nec pater atque avus idem Iuppiter*, pater Veneris, itaque avus atque pater Amoris. Quidam enim poetæ Venerem ex Iove fuisse matrem Cupidinis perhibebant. — *ille etiam Pœnos domiture*

leones Et validas novit vires mansuescere tigris, ex Lygd. 6, 13, sqq. (de Amore): «*Ille* facit mites animos *deus*, ille ferocem Contudit . . . Armenias *tigres* et fulvas ille *leænas* Vicit et *indomitis* mollia corda dedit.» — *ille etiam . . . Ille etiam*, ex Verg. Ge. I. 463 sqq.: «solem quis dicere falsum Audeat? *ille etiam* cæcos instare tumultus Sæpe monet . . . *Ille etiam* extincto» etc. — *Pœnos domitare leones*, ex Verg. Ecl. 5, 27: «*Pœnos* etiam ingemuisse *leones*.» Cirin imitatur Senec. Phædr. 348: «Pœni quatiunt colla leones, cum movit amor.» — *validas . . . vires . . . tigris*, ex Lucret. V. 314: «Nec *validas* ævi *vires*» et ibid. VI. 342: «*Et validas* auget *vires*» et Verg. Aen. VI. 833: «Nec patriæ *validas* in viscera vertite *vires*.» — *novit*, ex coniectura Hauptii, cf. infra adn. crit.» — *mansuescere*, sensu transitivo, ut Varr. R. R. II. 1, 4. et Lucret. V. 1355. — *Ille etiam divos*, sc. domat, supplendum ex vs. 135. Ex Ov. Met. V. 369—370: «*Tu superos* ipsumque *Iovem*, tu numina ponti Victa *domas*.»

V. 138—141. *Idem tum tristes acuebat parvulus iras Iunonis*, Iuno enim, ut vs. 157. docemur, ob zelotypiam (ergo ab Amore incitata) irascebatur Scyllæ. — *tristes acuebat . . . iras*, ex Verg. Aen. XII. 590: «magnisque *acuunt* stridoribus *iras*» et ibid. VII. 406: «primos *acuisse furores*» et Ge. IV. 434: «Auditisque *lupos acuunt* balatibus agni.» — *tristes . . . iras Iunonis*, ex Verg. Ecl. 2, 14: «tristes Amaryllidis iras.» — *parvulus . . . Iunonis magnæ*, contraria opponuntur, ut infra vs. 479: «Cumba velut *magnas* sequitur cum *parvula* classes.» — *parvulus*, forma deminutiva occurrit Verg. Aen. IV. 328: «parvulus . . . Aeneas.» — *Iunonis magnæ*, eadem verba initio hexametri Verg. Aen. III. 437. — *cuius fera iurgia divæ Olim ipsæ metuere*, deæ timebant iurgia Iunonis, ut ex Iliade et ex Aeneid. X. 62. sqq. elucet. — *fera iurgia*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *iurgia . . . metuere*, ex Verg. Aen. XI. 406: «se *pavidum* contra mea *iurgia* fingit» et Prop. I. 3, 18: «Expertæ *metuens iurgia* sævitiæ.» — *divæ Olim ipsæ metuere*, quo magis ea metuere debebat puella mortalis. —

ipsæ metuere, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *et cui,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *peritura puella,* quæ perire debuit propter sacrilegium, quod commiserat inscia, imprudens. Cf. Verg. Ge. IV. 457—458: «Immanem ante pedes hydrum *moritura puella* . . . non vidit.» — *Nulli non sanctam . . . sedem,* templum omnibus sanctum; cf. Verg. Ge. IV. 452: «*Non* te *nullius* exercent numinis iræ.» — *Nulli non,* ex coniectura Ribbeckii, *sanctam,* ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit.

V. 142—145. *sacris operata deæ,* festo quodam Iunonis. — *et extra Procedit longe matrum comitumque catervam,* ex Lucret. I. 72: «*et extra Processit longe* flammantia mœnia mundi.» — *matrum comitumque catervam,* ex Lucret. II. 628: «Floribus umbrantes matrem comitumque catervas» et Verg. Aen. XI. 478: «Subvehitur magna matrum regina caterva» et Ov. Met. XII. 216: «Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva.» — *matrum,* matronarum Megarensium. — *comitumque,* puellarum Scyllæ æqualium, quæ comitari solebant filiam regis. — *Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,* ex Lygd. 4. 35: «Ima videbatur talis *illudere palla.*» — *tumidos agitante sinus aquilone relaxans,* ex Hor. Epist. II. 2. 201: «Non agimur tumidis velis aquilone secundo.»

V. 146—148. *Necdum etiam castos gustaverat ignis honores, Necdum,* ut Verg. Ge. II. 532: «*Necdum etiam* audierant inflari classica, *necdum*» etc. — *Necdum . . . gustaverat ignis honores,* nondum impositum erat aræ sacrificium; ex Lucret. II. 191—192: «subsiliunt *ignes* ad tecta domorum Et celeri flamma *degustant* tigna trabesque» et Grat. Cyneg. 457: «deus illam molliter aram *Lambit* et ipse, suos ubi contigit *ignis honores*» et Verg. Aen. II. 683—684: «innoxia molles *Lambere flamma* comas.» Cf. Verg. Aen. I. 48—49: «et quisquam numen *Iunonis* adorat Præterea aut supplex aris imponet *honorem.*» — *castos . . . honores,* ex Verg. Aen. VII. 71: «*castis* adolet dum altaria *tædis*» et ibid. III. 177—178: «*munera* libo *Intemerata* focis.» — *sollemni lympha perfusa sacerdos*

lavare enim se debebant sacrificaturi; ex Verg. Aen. IV. 635: «Dic corpus properet fluviali *spargere lympha*» et Propert. IV. 6, 5—7: «Costum molle date et blandi mihi *turis honores* Terque focum circa laneus orbis eat, *Spargite me lymphis.*» — *Pallentis foliis caput exornarat olivæ*, quod fieri solebat ante sacrificium; ex Verg. Ge. III. 21: «Ipse *caput* tonsæ *foliis ornatus olivæ* Dona feram: iam nunc *sollemnes* (cf. vs. 147.) ducere pompas Ad delubra iuvat» et Aen. V. 774—776: «Ipse, *caput* tonsæ *foliis* evinctus *olivæ* Stans procul in prora pateram tenet extaque salsos Porricit in fluctus» et ibid. VII. 418—419: «tum ramum innectit *olivæ:* Fit Calybe *Iunonis* anus templique *sacerdos.*» — *Pallentis . . . olivæ,* ex Verg. Ecl. 5, 16: «*pallenti* cedit *olivæ.*»

V. 149—151. *quoque,* ex coniectura Ellisii, *ea lapsa est,* ex coniectura Mæhlyi; cf. infra adn. crit. — *Procurrit virgo,* i. e. pilam sequens semper longius processit. — *prodita ludo,* decepta, pessumdata, ut Verg. Aen. I. 470: «primo quæ prodita somno.» — *Auratam gracili solvisset corpore pallam,* sc. ut celerius currere posset. — *Auratam . . . pallam,* ex Verg. Aen. I. 648: «*pallam* signis *auroque* rigentem.»

V. 152—155. *velamina,* ex coniectura Sudhausii, cf. infra adn. crit. et Verg. Aen. I. 648: «*pallam* (cf. vs. 151.) signis *auroque* rigentem Et circumtextum croceo *velamen* acantho.» — *violata manu sacraria divæ,* videtur Scylla pilam in sacrarium divæ iecisse imprudens. — *Iurando . . . iure,* fortasse falso iuravit Scylla (unde infra vs. 156. *periuria*) non se fuisse eam, quæ sacrarium Iunonis pila iacta læsisset. — *iure,* ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit.

V. 156—157. *Etsi quis nocuisse tibi periuria credat?* versum rectissime explicavit Buecheler pro *Et si* scribendo *Etsi* et in fine versus signo interrogationis posito: Quamquam quis credat periuria tibi nocuisse? Non periurium tibi nocuit, sed pulchritudo tua et zelotypia Iunonis. — *Causa pia,* ex amore coniugali profecta. — *fratri,* Iovi. — *te ostendere,* perdere te voluit Iuno, ne Iuppiter te conspecta amore incenderetur.

V. 158—162. *At levis ille deus*, Amor; cf. Ov. A. A. II. 19: «Et *levis* est et habet *geminas*, quibus avolet, alas» et Am. I. 9, 49: «Tu *levis* es multoque tuis ventosior alis.» — *ad ulciscendum Quæritur ex omni verborum iniuria iactu*, Cupido etiam fortuitum verborum iactum (hoc loco: periurium puellæ) ulcisci solet, ut iniuriam. — *verborum . . . iactu*, ad fortuitum verbi cuiusdam iactum referendum; cf. Val. Max. I. 5, 9: «Petilius consul . . . fortuitum *iactum vocis* leto suo confirmavit.» — *Aurea fulgenti depromens tela pharetra*, ex Ov. Met. I. 468—470. (de Cupidine): «Eque sagittifera *prompsit* duo *tela pharetra* Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem; *Quod facit, auratum* est» et Verg. Aen. V. 501: «*depromunt tela pharetra*» et ibid. XI. 858—859: «Dixit et *aurata* volucrem Threissa *sagittam Deprompsit pharetra*». — *Heu nimium tætro nimium torrentia viro*, ex Aen. XI. 841—842: «*Heu nimium*, virgo, *nimium* crudele dedisti Supplicium.» — *tætro . . . torrentia viro . . . acumina*, venenatas sagittas Amori tribuit, ut Propert. II. 12, 18—19. (ad Cupidinem): «alio traice *tela* tua: Intactos isto satius tentare veneno.» — *tætro . . . viro*, ex Lucret. II. 468: «*tætri* primordia *viri*»; cf. ibid. IV. 667: «a tætro resilire veneno» et Propert. II. 24, 27: «Tætra venena.» — *tætro . . . viro*, ex coniectura Hauptii, *torrentia*, ex coniectura Schraderi, cf. infra adn. crit. — *torrentia*, cf. Horat. Carm. II. 8, 14—16: «ferus et Cupido Semper *ardentes* acuens sagittas Cote cruenta» et ibid. IV. 4, 12 (ad Venerem): «Si *torrere* iecur quæris idoneum.» — *acumina*, acumina sagittarum venenata; cf. Ov. Her. 21, 212. (Cydippe ad Acontium): «Quod faciat longe vulnus, acumen habes.» Ceterum *defixit acumina* scripsi ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit.

V. 163—164. *Quæ simul ac venis* etc., ex Catull. 64, 12: «Quæ simul ac rostro» etc. et Verg. Aen. IV. 90: «Quam simul ac tali persensit peste teneri.» — *venis hausit sitientibus ignem*, ex Verg. Ge. III. 137: «Sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.» — *ignem Et validum penitus concepit in ossa furorem*, ex Verg. Aen. I. 659—660: «*furentem* Incen-

dat reginam atque *ossibus* implicet *ignem.»* — *penitus concepit in ossa furorem,* ex Catull. 94, 92—93: «cuncto *concepit* corpore *flammam Funditus* atque imis exarsit tota *medullis»* et Verg. Aen. IV. 501: «nec tantos mente *furores Concipit»* et ibid 101: «traxitque per *ossa furorem.»*

V. 165—167. *Sæva velut gelidis* etc., comparatio feminæ amantis cum Baccha, ut Verg. Aen. IV. 68: «Uritur infelix Dido *totaque* vagatur *Urbe furens«* et ibid. 300: «*totamque* incensa *per urbem Bacchatur*, qualis commotis excita sacris *Thyias.»* — *gelidis Edonum Bistonis oris,* ex Lucret. IV. 830: «Et *gelidis* cycni nocte *oris* ex Heliconis» et Calv. fr. 11. B.: «*Frigida* iam celeri superata est *Bistonis ora.»* — *Edonum,* Thracum, ex Ov. Rem. 593—594: «Ibat, ut *Edono* referens trieterica Baccho Ire solet fusis barbara turba comis.» – *Bistonis,* femina Thressa Bacchans; ex Calv. fr. Ius 12. (ed. Bæhrens): «*Frigida* iam celeri superata est *Bistonis ora»* et Hor. Carm. II. 19, 19—20. (ad Bacchum): «Nodo coerces viperino *Bistonidum* sine fraude crines.» — *Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,* ut Lucret. II. 620: «Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.» — *Ictave,* attonita, ut Catull. 63, 74: «Face uti furoris *icta»* et Hor. Sat. II. 1. 24 –25: «ut semel *icto* Accessit fervor capiti» et Propert. III. 8. 14: «sequitur medias, *mænas* ut *icta,* vias.» — *barbarico . . . buxo,* tibia Phrygia, ex Verg. Aen. IX. 616—617: «Tympana vos *buxusque* vocat Berecyntia matris Idææ» et Hor. Epod. 9, 5—6: «Sonante mixtum *tibiis* carmen lyra, Hac Dorium, illis *barbarum.»* Cirin imitatur Val. Flac. III. 131: «barbara buxus.» — *Cybeles antistita,* vox rara occurrit Ov. Met. XIII. 410: «*antistita* Phœbi.» — *(Infelix virgo!), tota bacchatur in urbe,* ut Calv. fragm. 9. (ed. Bæhrens): «A virgo infelix, herbis pasceris amaris.»

V. 168—170. *Non storace* etc., vss. 168—170. ex Catull. 64, 63—65: «*Non* flavo *retinens* subtilem vertice mitram, *Non* contecta levi velatum pectus amictu, *Non* tereti strophio lactentes vincta papillas.» — *storace Idæo,* styrace Cretensi; cf.

Plin. N. H. XII: 124: «Proxima Iudææ Syria supra Phœnicen *styracem* gignit . . . Arbor est eodem nomine . . . lacrimæ ex austero *iucundi odoris* . . . Styrax laudatur post supra dicta ex Pisidia, Cypro, Cilicia, *Creta*, minime ex Amano Syriæ medicis, sed *unguentariis* magis.» — *tincta*, ex coniectura Schraderi; cf. infra adn. crit. — *Coccina non teneris pedibus Sicyonia servans*, ut Lucil. fragm. 789. (ed. Bæhrens): «Et *pedibus* læva *Sicyonia* demit honesta» et Lucret. IV. 1125: «pulchra in *pedibus Sicyonia* rident.» — *Coccina . . . Sicyonia*, calceus Sicyonius purpureus; cf. Verg. Ecl. VII. 32: «*Puniceo* stabis suras evincta *cothurno*» et Aen. I. 336. (de virginibus Tyriis): «*Purpureoque* alte suras vincire *cothurno*.» — *Coccina*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *bacata monilia* collo, ex Verg. Aen. IV. 654: «colloque monile bacatum.» — *monilia collo*, eadem verba in fine hexametri Ov. Her. 9, 57. et Met. X. 113. et 264.

V. 171—173. *Multum illi incerto trepidant vestigia cursu*, ex Verg. Aen. X. 283: «Dum *trepidi* egressisque labant *vestigia* prima.» Cirin imitatur Lucan. X. 460: «*incerto* lustrat vagus atria *cursu*.» — *vestigia cursu*, eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. V. 592. — *Sæpe redit patrios adscendere perdita muros*, ex Ov. Met. VIII. 17: «Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi.» — *redit . . . adscendere*, iterum atque iterum redit ad muros, ut ascendat. — *patrios . . . muros*, ut Ov. Met. V. 236—237: «Victor Abantiades patrios cum coniuge muros Intrat.» — *Phœbeasque facit causam se visere turres*, prætexit causam se, ut solita erat, muros lyræ Phœbeæ sonum reddentes visere velle; re vera autem Minoa videre vult. Ex Ov. Met. VIII. 14—20; «Regia *turris* erat *vocalibus* addita muris, In quibus auratam proles Letoia fertur Deposuisse *lyram*: saxo sonus *eius* inhæsit. Sæpe illuc solita est *ascendere* filia Nisi et petere exiguo *resonantia* saxa lapillo Tum, cum pax esset; bello quoque sæpe solebat Spectare ex illa rigidi certamina Martis.» — *Phœbeas*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit.

V. 174—176. *Sæpe etiam tristes volvens in nocte querellas*, ex Cic. Prognost. fragm. VI. 1. et 3. (ed. Bæhrens): «*Sæpe etiam pertriste* canit de pectore carmen . . . et adsiduas iacit ore *querelas*.» — *Sedibus ex altis*, ex ὑπερῴῳ Homerico; ex Verg. Aen. II. 461—462. et 467: «unde omnis Troia videri Et Danaum solitæ naves et Achaica castra . . . convellimus *altis Sedibus*.» — *cæli speculatur honorem*, lunam, ut amantes solent; ex Verg. Aen. IV. 80—82. (de Didone): «Post, ubi digressi lumenque obscura vicissim *Luna* premit suadentque cadentia sidera somnos, Sola domo *mæret* vacua» et Ge. IV. 166: «Inque vicem *speculantur* aquas et nubila *cæli*.» — *cæli . . . honorem*, decus cæli nocturni, lunam. Ex Verg. Aen. IX. 401—403: «*Suspiciens* altam Lunam sic voce precatur: Tu dea, tu præsens nostro succurre labori, *Astrorum decus*» et Hor. C. S. 1—2: «silvarumque potens Diana Lucidum *cæli decus*». *Honos* pro decore, ornamento, ut infra vs. 496: «Oris *honos*» et 500. (de crine purpureo Nisi): «patrios imitatus *honores*.» — *honorem*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *castraque prospectat crebris lucentia flammis*, ex Verg. Aen. X. 4: «*Castraque* Dardanidum *aspectat*» et X. 209: «*crebris conlucent* ignibus agri» et V. 4: «*Conlucent flammis*» et X. 164. (de castris Turni): «*conlucent* ignes.» — *lucentia flammis*, ex Manil. I. 866: «Sidera perpetuis cælo *lucentia flammis*.»

V. 177—180. *Nulla colum* etc., vss. 177—179., ut Catull. 64. 39: «*Non* humilis curvis purgatur vinea rastris, *Non* falx attenuat . . . *Non* glebam prono convellit vomere taurus.» — *Nulla colum novit*, non novit; ut Verg. Aen. IV. 232: «Si te *nulla* movet tantarum gloria rerum» et ibid. VI. 465: «Si te *nulla movet* tantæ pietatis imago» — *aurum*, aurum textile, ut Verg. Aen. III. 483: «picturatas *auri subtegmine* vestes» et IV. 264: «tenui *telas* discreverat *auro*» et VIII. 167: «chlamydemque *auro* dedit *intertextam*.» — *Non Libyco molles plauduntur pectine telæ*, vs. 179. ante 178. ponendum censuit Heyne; cf. infra adn. crit. Ex Tibull. II. 1, 65—66: «Atque aliqua adsiduæ *textrix* operata Minervæ Cantat et *applauso*

tela sonat latere.» — *Libyco . . . pectine,* pectine textorio eburno; cf. Propert II. 31, 12: «Et valvæ, *Libyci* nobile *dentis* opus» et Verg. Aen. VI. 647: «Iamque eadem digitis, iam *pectine* pulsat *eburno.*» Eodem sensu infra vs. 440: «*Libys . . .* lectulus» i. e. eburnus, — *plauduntur,* pulsantur, ut Verg. Ge. III. 186: «et *plausæ* sonitum cervicis amare.» — *Non arguta sonant tenui psalteria chorda,* ex Verg. Aen. VII. 14: «*Arguto tenues* percurrens pectine telas» et Lygd. 4, 69—70 (de Apolline amante); «Tunc ego nec *cithara* poteram gaudere *sonora* Nec similes *chordis reddere* voce sonos» et Varr. Sat. Menip. fr. 354. (ed. Buecheler): «Non orchospalticum attulit *psalterium,* quibus *sonant* in Græcia dicteria.» — *psalteria* organum musicum chordis instructum; occurrit Cic. Har. Resp. 21. et Varr. Sat. Menip. fr. 366. (ed. Buecheler): «Scientia doceat, quemadmodum in psalterio extendamus nervias.» — *Nullus in ore rubor,* eadem verba initio hexametri Val. Flac. II. 57. Cf. Ovid. Am. II. 11, 28: «nullus in ore color.» — *ubi enim rubor, obstat amori,* ex Ov. Am. I. 2, 32: «Et *Pudor* et castris quidquid *Amoris obest*» et Metam. VIII. 75: «quodcumque *obstaret amori.*» Cf. Verg. Aen. IV. 91: «nec famam obstare furori.»

V. 181—184. *Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis Tabidulamque videt labi per viscera mortem,* ex Lucret. IV. 1119—1120. (de amantibus): «Nec *reperire malum* id possunt quæ machina vincat; Usque adeo incerti *tabescunt* vulnere cæco» et Verg. Aen. III. 137. sqq.: «*tabida* membris . . . venit . . . *lues*» et Lydiæ vss. 22—33. «At mihi *tabescunt morientia* membra dolore Et calor infuso decedit frigore *mortis.*» — *Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata, Fertur,* ex Verg. Aen. XII. 677: «Quo *deus* et *quo* dura vocat Fortuna, sequamur.» — *horribili præceps impellitur oestro,* cf. Verg. Ge. III. 146. sqq.: «Est lucos Silari circa ilicibusque virentem plurimus Alburnum *volitans,* cui nomen *asilo* Romanum est, *oestrum* Grai vertere vocantes. Asper acerba sonans, quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta, *furit* mugitibus æther . . . Hoc quondam

monstro *horribiles* exercuit iras Inachiæ Iuno pestem meditata iuvencæ» i. e. Ioni in vaccam conversæ, quæ in furorem agebatur ab oestro. Unde οἶστρος iam apud Græcos poetas interdum, ut hoc loco, *furorem* significat. Eodem sensu Stat. Theb. I. 32.

V. 185—187. *Ut patris, a demens*, ex Verg. Ecl. 2, 60: «Quem fugis, a demens»; cf. Lygd. 6, 27: «Quid precor, a demens»; Ov. Trist. V. 10, 51: «Quid loquor a demens» et Pont. IV. 3, 29: «Quid facis, a demens.» — *patris . . . crinem de vertice sectum*, cf. Ov. Trist. II. 393—394: «Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos, Ni *patrium crinem desecuisset* amor.» — *Furtimque arguto desponsum mitteret hosti*, ex Propert. III. 19, 22—24. (de Scylla): «Hanc igitur dotem virgo *desponderat hosti*: Nise tuas portas fraude reclusit amor.» — *Furtimque*, iunge cum *desponsum*; inter Scyllam igitur et Minoa de crine desecando ante convenerat. — *arguto*, astuto. — *desponsum*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *Namque hæc condicio*, i. e. Minos se Scyllam in matrimonium ducturum promiserat ea condicione, ut crinis Nisi desecaretur sibique mitteretur. — *condicio miseræ proponitur una*, ex Catull. 99, 5: «pœnam misero *proponis* amori.» — *proponitur una*, post vs. 187. excidisse videtur versus unus aut duo, tali fere sensu: sive hoc fecit fatalem vim crinis sciens: sequitur vs. 188: *Sive illa ignorans*. Cf. infra vss. 319—320: «An nescis, qua lege patris de vertice summo Edita candentes prætexat purpura canos?»

V. 188—190. *tanti sceleris damnare puellam?* ex Ov. Rem. 3: «Parce tuum vatem *sceleris damnare*, Cupido?» — *Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)*, post vs. 190. excidit versus tali fere sensu: augebit numerum avium, in avem mutabitur.

V. 191—194. *Nise pater*, ex Ov. Met. VIII. 126: «Nise pater! *gaudete* (cf. infra vs. 195. 199. 200) malis.» — *direpta crudeliter urbe*, ex Catull. 62, 24: «Quid faciunt hostes *capta crudelius urbe*.» — *turribus altis*, eadem verba in fine hexa-

metri Verg. Aen. IX. 470, X. 121, — *extructo possis considere nido.* in haliaetum enim mutatus est; ex Verg. Aen. III. 378: «Ausonio *possis considere* portu.» — *Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia pœnas,* tu quoque, ut Scylla, in avem mutaberis et avis, non hominis formam habens morieris olim filia punita; ex Verg. Ge. I. 404—408: «Apparet liquido *sublimis in aere* Nisus Et pro purpureo *pœnas dat Scylla* capillo: Quacunque illa levem fugiens secat æthera pinnis, Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras Insequitur Nisus.» — *avis moriere,* ut avis; cf. Propert. II. 30, 30. (de Iove in *aquilam* mutato): «Denique ut ad Troiæ tecta *volarit avis*» et Verg. Aen. XI. 272—273. (de sociis Diomedis): «Et socii amissi petierunt æthera pinnis Fluminibusque *vagantur aves.*» Omnibus his locis *avis* appositionis vice fungitur. — *dabit tibi filia pœnas,* ut in fine hexametri Verg. Aen. IV. 386: «dabis, improbe, pœnas» et Propert. II. 5, 3: «dabis mihi, perfida, pœnas.»

V. 195—197. *Gaudete o . . . gaudete . . . Vosque adeo* (vs. 198.), ut Catull. 64, 22: «*O* nimis optato sæclorum tempore nati Heroes, *salvete,* deum genus, o bona matrum Progenies, *salvete iterum . . . Teque adeo eximie*» etc. — *subnixæ nubibus altis,* cf. Verg. Catal. 3, 1—2: «Aspice, quem valido *subnixum* gloria regno *Altius* et cæli sedibus extulerat» et Aen. V. 506: «solioque *alte subnixa* resedit» et Ge. III. 546—547: «Ipsis est aer *avibus* non æquus et illæ Præcipites *alta* vitam sub *nube* relinquunt.» — *Quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes,* ex Verg. Ecl. 10. 58: «per rupes . . . lucosque sonantes» et Ge. IV. 368: «lucosque sonantes»; cf. Lucret. I. 278: «Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli» et Verg. Aen. I. 236: «Qui mare, qui terras omni dicione tenerent.» — *vagæ . . . volucres,* ut Hor. Carm. IV. 4, 2: «aves vagas» et Verg. Aen. X. 272—273: «Fluminibusque vagantur aves.» — *blandæque,* propter blandum sonum.

V. 198—202. *Vosque adeo,* ut initio hexametri Verg. Ecl. 4, 11: «Teque adeo.» — *mutatæ . . . artus,* ut supra vs. 56:

«mutatam membra.» — *crudeli fatorum lege . . .gaudete*, sc. mutatione Nisi et Scyllæ misera. Cf. Aetn. 19: «*tristi fatorum lege* ruentem», ubi scriptor ignotus Cirin imitari videtur. — *puellæ Dauliades*, Procne in hirundinem et Philomela in lusciniam mutata; cf. Catull. 65, 13: «Qualis sub densis ramorum concinit umbris *Daulias* absumpti fata gemens Ityli» et Ov. Her. 15, 154: «Concinit Ismarium *Daulias* ales Ityn.» *Daulias* a Daulide, urbe Phocidis, ubi Tereus, maritus Procnes, regnabat. — *Cognatos augens reges numerumque suorum Ciris et ipse pater*, Pandionis enim liberi erant Procne, Philomela et Nisus; cf. Apollod. III. 15: *Πανδίονι δὲ ἐν Μεγάροις ὄντι παῖδες ἐγένοντο Αἰγεὺς Πάλλας Ν ῖ σ ο ς Λύκος*; cf. infra vss 409—410. (Scylla ad Procnen et Philomelam): «illa ego sum *cognato sanguine* vobis Scylla.» — *augens reges*, Tereum regem in epopem mutatum, Procnen et Philomelam, puellas regias.

V. 203—205. *cæruleas . . . nubes*, obscuras, ut supra vs. 38: «cæruleis bigis.» — *cæruleas præverrite*, ut Verg. Aen. III. 208: «cærula verrunt.» — *præverrite in æthera nubes, Qua novus* etc., ex Ov. Am. III. 13, 23—24: «*Qua* ventura dea est, iuvenes timidæque puellæ *Præverrunt* latas veste iacente vias.» — *præverrite in æthera nubes*, i. e. alis vestris verrite et diverberate nubes obscuras, ut æther apertus fiat; ex Verg. Aen. I. 587: «Scindit se *nubes* et *in æthera* purgat apertum.» — *præverrite . . . nubes*, ut Lucret. I. 278. (de ventis): «Quæ mare, quæ terras, quæ denique *nubila* cæli *Verrunt.*» — *præverrite*, ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. — *novus . . . haliaetos*, ut Ov. Met. XIV. 390—391. (de Pico in avem mutato): «Seque *novam* subito Latiis accedere silvis Indignatus *avem.*» — *Candida . . . ciris*, albo pennarum colore. unde infra vs. 489: «Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.» — *concessos . . honores*, cælum, sedem superorum, ut vs. 204. legimus.

V. 206—208. *Iamque adeo*, eadem verba inito hexametri Verg. Aen. II. 567, V. 268. et 864, VIII. 585, XI. 487. — *dulci devinctus lumina somno*, ex Catull. 64, 122: «devinctam lu-

mina somno» et Verg. Aen. IV. 185: «nec dulci declinat lumina somno.» — *vigilumque procul custodia primis Excubias foribus*, ex Verg. Aen. IX. 157: «vigilum excubiis obsidere portas.» — *primis . . . foribus*, in primis foribus, ante ianuam regiæ; ex Verg. Aen. II. 485: «Armatosque vident stantes in limine primo.» — *Excubias . . . servabat*, ex Verg. Aen. IX. 219—220: «*vigiles* simul excitat: illi Succedunt *servantque* vices» et ibid. II. 567—568: «limina Vestæ *servantem*.» Etiam apud Livium sæpius occurrit: vigilias, custodias *servare*. — *studio servabat inani*, intus enim erat hostis. Scylla; ex Verg. Ecl. 2, 5: «Montibus et silvis *studio* iactabat *inani*.» — *servabat*, ex mea coniectura, cf. infra adn. crit.

V. 209—211. *furtim tacito descendens Scylla cubili*, ex Tibull. I. 2. 19: «Illa (sc. Venus) docet molli *furtim* derepere *lecto*.» — *tacito descendens . . . cubili*, ita descendens, ut cubile nullum èdat sonum; cf. Catull. 6, 7: «tacitum cubile.» — *Auribus arrectis . . . silentia*, ex Verg. Aen. I. 152: «*silent arrectisque auribus* adstant» et ibid. II. 303: «arrectis auribus adsto.» — *silentia temptat*, explorat, sileantne omnia, sintne omnia tuta. — *pressis . . . singultibus aera captat*, retinet animam, ne sonum faciat, ut Ov. Fast. I. 425: «Surgit amans animamque tenens» etc. et Tibull. I. 8, 57—58: «Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur Spiritus.» — *tenuem . . . aera captat*, ex Verg. Ge. IV. 311: «*tenuemque* magis magis *aera* carpunt» et Aen. III. 514: «atque auribus *aera captat*.»

V. 212—215. *Tum suspensa levans digitis vestigia primis Egreditur*, ex Ov. Fast. I. 425—426: «Surgit amans animamque tenens *vestigia* furtim *Suspenso digitis* fert taciturna gradu» et Metam. IV. 93—95: «Callida per tenebras versato cardine Thisbe *Egreditur*.» — *Egreditur*, sc. ex cubiculo. — *Ferroque manus armata bidenti*, forfice, ex Verg. Catal. 10, 9: «*Bidente* dicit attondisse *forfice*» et Aen. XI. 135: «*ferro* sonat alta *bipenni* Fraxinus.» — *Provolat*, versus cubiculum patris, ut supra vs. 150: «*Procurrit* virgo.» Ceterum *Provolat* est mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *demptæ subita in formidine*

vires, ex Verg. Aen. III. 259: «At sociis *subita* gelidus *formidine* sanguis Deriguit» et ibid. VI. 290: «*subita* trepidus *formidine*.» — *Cæruleas sua furta prius testatur ad auras*: cælo nocturno prius fatetur scelus suum ad sidera suspiciens (vs. 218.) et diis vota faciens (vs. 219.); ex Verg. Aen. VII. 593: «Multa deos *aurasque* pater *testatus* inanes.» — *Cæruleas* . . . *ad auras*, ad cælum obscurum, nocturnum, ut dicitur: ad lunæ lumina. — *Cæruleas*, obscuras, ut supra vs. 36: «cæruleis (lunæ) bigis» et vs. 203: «cæruleas nubes.» — *ad auras*, cælum, ut Verg. Aen. VI. 733—734: «neque *auras* Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco», ibid 554: «stat ferrea turris *ad auras*»; eodem modo apud Vergilium sæpius: «tendit, se agit *ad auras*» i. e. ad cælum. — *auras*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit.

V. 216—219. *Nam qua se*, eadem verba initio hexametri Verg. Ge. II. 74. — *qua se ad patrium tendebat semita limen*, ex Verg. Aen. VI. 540—541: «ubi *se via* findit in ambas Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia *tendit*» et ibid. V. 524: «*quo semita* ducit.» — *Vestibulo in thalami*, sc. patris. — *alte Suspicit ad celsi . . . sidera mundi*, ut supra vs. 7: «Altius ad magni suspexit sidera mundi.» — *celsi . . . mundi*, cæli, ut supra vs. 34: «celsum Olympum.» — *nictantia sidera mundi*, micantia, ex Lucret. VI. 182: «*nictantia* fulgura flammæ» et Catull. 64, 206: «micantia *sidera mundus*.» — *Non accepta piis promittens munera divis*, ex Catull. 64, 103: «*Non* ingrata tamen frustra *munuscula divis Promittens* tacito succepit vota labello» et ibid. 90, 5: «Gratus ut *accepto* veneretur carmine *divos*» et Ov. Her. 17, 73—74: «*acceptissima* semper *Munera* sunt, auctor quæ pretiosa facit.» — *accepta*, grata.

V. 220—223. *Quam simul . . . Carme Surgere sensit anus*, ex Verg. Aen. IV. 90: «*Quam simul* ac tali *persensit* peste teneri Cara Iovis coniunx.» — *Ogygii Phœnicis filia Carme*, nutrix Scyllæ, quæ una cum puella in cubiculo dormivit. — *Ogygii Phœnicis filia*, ut etiam apud Anton. Lib. c. 40; secun-

dum Pausan. II. 30. et Diod, V. 76. Eubuli filia. — *Ogygii,* Thebani ab Ogygo, antiquo rege Thebarum; eodem sensu Ov. Her. 10, 98. «Ogygio deo» i. e. Baccho. — *sonitum nam fecerat illi . . . cardo,* ut Tibull. I. 2, 10: «Neu fortim verso *cardine* aperta *sones.*» — *Marmoreo . . . in limine,* ut Hor. Epist. I. 18, 73: «Intra *marmoreum* venerandi *limen* amici» — *æratus stridens in limine cardo,* ex Verg. Aen. I. 449: «foribus cardo stridebat aenis» et ibid. VI. 573—574: «horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ» et ibid. VII. 613: «reserat stridentia limina consul.» — *Corripit extemplo,* ex Verg. Aen. VI. 210: «Corripit Aeneas extemplo.»

V. 224—227. *nobis sacrum caput . . . alumna,* ut infra vs. 274: «sanctum mihi pectus alumnæ.» — *viridis . . . pallor,* ex Cul. Pseudoverg. 144: «Pingunt aureolos *viridi pallore* corymbos.» — *tenui suffudit sanguine venas,* ex Ov. Halieut. 123: «tenui suffusus sanguine mullus.» Cirin imitatur Claudian. 17, 219: «rabidas suffundit sanguine venas.» — *Nec levis hanc faciem . . . cura subedit,* ex Lucret. III. 991: «atque *exest* anxius angor» et Catull. 66, 23: «Quam penitus mæstas *exedit cura* medullas» et Verg. Aen. VI. 422. et 444: «quos durus amor crudeli tabe *peredit* . . . *curæ* non ipsa in morte relinquunt.» — *hanc faciem,* ex coniectura Pithœi; cf. infra adn. crit. — *neque enim pote,* ut Prop. III. 7, 9: «Nec pote.» — *subedit,* ex coniectura Marklandi; cf. infra adn. crit.

V. 228 230. *quod ut o potius . . . fallar,* ex Verg. Aen. X. 631: «quod ut o potius formidine falsa Ludar.» — *Rhamnusia,* Nemesis a Rhamnunte, Atticæ vico, ubi præcipue colebatur; ut *Rhamnusia virgo* Catull. 64, 395; 66, 71; 68, 77. et *Rhamnusia* Ov. Met. III. 406. et XIV. 694. et Trist. V. 8, 9. — *dulcis pocula Bacchi,* ex Verg. Aen. III. 354: «libabant pocula Bacchi.» — *pocula Bacchi Nec gravidos Cereris . . . fetus,* ex Verg. Ge. II. 143: «Sed *gravidæ* fruges et *Bacchi* Massicus umor» et Ov. Met. VIII. 292. et 294: «Et *Cererem* in spicis interficit . . . Sternuntur *gravidi* longo cum palmite *fetus.*»

V. 231—233. *ad patrium . . . cubile,* cf. supra vs. 217:

«Vestibulo in thalami (sc. patris) remoratur.» — *Tempore quo fessas mortalia pectora curas, Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus,* nocte ; eodem modo describitur silentium noctis Orph. Argon. 1010. (de deo Somno) : *Κοιμήσας δ' ὅγε φῦλα πανημερίων ἀνθρώπων Καὶ ζαμενεῖς ἀνέμου πνοιὰς καὶ κύματα πόντου Πηγὰς τ' ἀενάων ὑδάτων ποταμῶν τε ῥέεθρα* et Ov. Met. VII. 185—187 : «homines volucresque ferasque Solverat alta quies, rapidi quoque fluminis undæ* Sopitis similes nullo cum murmure serpunt.» — *fessas mortalia pectora curas,* ex Ov. Met. VIII. 83 : «Prima quies aderat, qua *curis fessa* diurnis Pectora somnus habet.» Cirin imitantur Lucan. V. 504 : «Solverat armorum *fessas* nox languida *cura*» et Sil. It. XV. 612 : «Nox, somni genetrix *mortalia pectora curis* Purgarat» — *fessas . . curas,* Cirin imitari videtur Stat. Silv. V. 4, 4 : «Et simulant *fessos* curvata cacumina *somnos.*» — *rapidos etiam requiescunt flumina cursus,* verbum *requiescendi* sensu transitivo ex Calv. fragm. 13. (ed. Lucian. Mueller) : «Sol quoque perpetuos meminit *requiescere cursus*» et Verg. Ecl. 8, 4 : «Et mutata** suos *requierunt flumina cursus.*» Cirin et Verg. Ecl. 8. 4. simul imitari videtur Calpurn. Ecl. 2, 15 : «Et tenuere suos *properantia* flumina cursus.»

V. 234—236. *Dic age nunc,* eadem verba initio hexametri Val. Flac. VIII. 64. — *petenti,* interroganti. — *nihil esse,* nullius momenti. — *mæsta parentis,* eadem verba in fine hexametri Lucret. I. 99. et Cic. Arat. XXXII. 3. (ed Bæhrens in Poet. Lat. Min. I.). — *Formosos . . . capillos,* ex Ov. Am. I. 14, 31 : «Formosæ periere comæ.» — *remorere,* ex editione Parisina a. 1501 ; cf. infra adn. crit. et supra vs. 217 : «Vestibulo in thalami paulum *remoratur.*

V. 237—240. *furor . . . invaserit artus,* ut Verg. Aen. VII. 446 : «tremor occupat artus.» — *Arabæ Myrrhæ,* de Myrrha sive Smyrna, Cinyræ filia, patrem amante epyllion scripsit C.

* Cf. infra Excurs. V.

** Cf. infra Excurs. V.

Helvius Cinna, Catulli amicus; fabulam copiose narrat Ov. Met. X. 298. sqq. — *cepit ocellos,* ex Prop. I. 1, 1: «Cynthia prima suis miserum me *cepit ocellis*» et III. 10, 15: «Dein, qua primum *oculos cepisti* veste Properti.» — *Adrastea,* Nemesis, ut supra vs. 228: «Rhamnusia.» Ἀδρήστεια in fine hexametri spondiaci Callim. Hecal. fragm. 45. et hymn. in Iov. 47; Apoll. Rhod. I. 116. et III. 133. — *Lædere utrumque . . . parentem,* patrem et Manes matris mortuæ; Scylla enim hoc tempore iam non habuit matrem. Cf. Ov. Met. X. 347. (de Myrrha): «Tune eris et matris paelex et adultera patris?»

V. 241—243. *animi iactaris amore,* cf. Catull. 64, 372: «Quare agite optatos *animi* coniungite *amores.*» — *non est Amathusia nostri Tam rudis,* ex Catull. 68, 7: «Multa satis lusi: *non est dea nescia nostri,* Quæ dulcem curis miscet amaritiem.» — *Amathusia,* Venus ob Amathunte, urbe Cypri. — *nullo possim cognoscere signo,* ex Verg. Ge. I. 394: «certis poteris cognoscere signis» et ibid. IV. 253: «non dubiis poteris cognoscere signis.»

V. 244—246. *noto . . . igne,* non insolito; contrarium supra vs. 130: «Scylla novo correpta furore.» — *Per tibi Dictynæ præsentia numina iuro, Prima deum quæ mi dulcem te donat alumnam,* falsarius ante oculos habuisse videtur incerti pœtæ versus apud Charis. p. 287, 4. K. servatos: «Luna *deum quæ* sola vides *periuria* vulgi, Seu Cretæa magis seu tu *Dictyna* vocaris.» — *Per tibi Dictynæ præsentia numina iuro,* per numen Lunæ nunc quoque in cælo fulgentis; ex Verg. Aen. IX. 401 402: «Suspiciens altam *Lunam* sic voce precatur: Tu, dea, tu *præsens* nostro succurre labori.» — *Dictynæ,* cognomen Dianæ sive Lunæ; cf. infra vs. 305: «Dictynam dixere tuo de nomine Lunam» et adn. ad h. l. — *præsentia numina,* ut Verg. Ge. I. 10: «agrestum præsentia numina, Fauni.» — *Prima deum quæ mi . . . te donat,* prima deorum, prius quam ceteri dii; est enim Diana sive Luna eadem atque Ilithyia, dea partus; cf. infra vs. 326: «Per te sacra precor per numinaque Ilithyiæ» et adn. ad h. l. — *mi,* ex mea coniectura; *dulcem,* ex coniectura Ellisii; cf. infra adn. crit. ad. h. l.

V. 247—249. *digna atque indigna laborum*, ex Verg. Aen. IV. 595: «digna atque indigna relatu.» *laborum Milia*, ut Lucret. IV. 412: «terrarum milia multa», Catull. 61, 210: «Multa milia ludi», Prop. I. 5, 10: «At tibi curarum milia quanta dabit.» — *tristibus* . . . *Sordibus et senio* . . . *tabescere*, ut Lucret. IV. 1120. (de amantibus): «Usque adeo incerti *tabescunt* vulnere cæco» et ibid. III. 908: «æterno possit *tabescere luctu*» et ibid. VI. 1173—1174: «omnia paulatim *tabescere* et ire Ad capulum, *spatio ætatis* defessa *vetusto*» et Liv. VII. 22, 5: «cuius lentæ velut *tabis senio* victa utriusque pertinacia populi est», quem locum respexisse videtur falsarius. Cf. Prop. III. 6, 23: «vano solam tabescere lecto.» — *Sordibus*, luctu.* — *senio*, cura; ceterum *senio* est coniectura viri docti in. Misc. Obss. IV. 323. Cf. infra adn. crit.

V. 250—252. *Hæc loquitur*, eadem verba initio hexametri Verg. Aen. X. 907. — *mollique ut se nudarit amictu*, eadem res occurit in narratione de Smyrna sive Myrrha; cf. Anton. Liber. 34: ἡ δὲ τροφὸς κατακρύψασα τῇ ἐσθῆτι τὴν Σμύρναν παρήγαγεν. Cf. Ov. Her. 18. 103: «Eque tuis demptos umeris mihi tradis amictus.» — *nudarit*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *Quæ prius in tenui steterat succincta crocota*, ex Catull. 64, 317: «*Quæ prius in* levi fuerant exstantia filo.» — *in tenui . . . crocota*, tunica tenuis crocei coloris; vox occurrit etiam Catal. Pseudoverg. 13. 21: «movere lumbulum in *crocotula*.» — *crocota*, ex coniectura Scaligeri; cf. infra adn. crit.

V. 253—256. *Dulcia . . . genis . . . oscula figens*, ex Lucret. IV. 1179: «foribus miser oscula figit» et Verg. Aen. 607: «oscula dulcia figet.» — *genis rorantibus*, ex Lucret. II. 974: «et lacrimis spargunt *rorantibus* ora *genasque*» et ibid. III. 469: «lacrimis *rorantes* ora *genasque*.» — *miseræ . . . tabis*, de amore infelici, ex Verg. Aen. VI. 442: «quos durus amor

* Cf. Cic. Ad. Fam. XIV. 2: «Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus!»

crudeli tabe peredit.» — *tabis*, de forma genetivi cf. Charis. p. 73 : «Cinna autem *in Smyrna* huius *tabis* dixit nullo auctore»; Liv. VII. 22, 5 : «cuius lentæ velut *tabis* senio victa utriusque populi pertinacia est.» — *Nec tamen ante*, eadem verba initio hexametri Ov. Met. IV. 317 ; Catull. 64, 188 : «Non tamen ante.» — *reddere voces*, eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. VI. 689. — *rettulit intus*, ex Cul. Pseudoverg. 290 : «nec *rettulit intus* Lumina.» — *intus*, ex mea coniectura, cf. infra adn. crit.

V. 257—261. *Ille autem : quid me, inquit, io nutricula, torques*, ex Verg. Aen. X. 878 : «*Ille autem : Quid me* erepto, sævissime, nato Terres?» — *inquit io nutricula*, ut Hor. A. T. 459—460 : «succurrite — longum Clamet — *io* cives» et Ov. Met. III. 442 : «Ecquis, *io* silvæ, crudelius, *inquit*, amavit.» — *io*, ex coniectura Hauptii, cf. infra adn. crit. — *Quid tantum properas*, ex Verg. Ge. II. 481. et Aen. I. 745 : «Quid tantum Oceano properent se tinguere soles.» — *consueto . . . amore*, ut supra vs. 244 : «noto igne.» — *Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus*, non amicorum vultus deflectunt meos oculos, sed vultus hostis. Ex Catull. 64, 91—92 : «Non prius ex illo flagrantia *declinavit Lumina*, quam cuncto concepit corpore flammam» et Verg. Aen. VI. 862 : «deiecto *lumina vultu*.» — *ultro namque odimus*, quamquam me non provocaverunt ad odium, sine iusta causa odii : ex Verg. Aen. II. 245 : «miserescimus ultro», ibid. X. 281 : «ultro occurramus ad undam», ibid. XII. 3 : «ultro implacabilis ardet.»

V. 263—267. *falsa . . . pietatis imago*, ex Ov. Met. IX. 460. (de Byblide fratrem amante) : «*Mendacique* diu *pietatis fallitur* umbra.» — *pietatis imago* eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. VI. 405, IX. 293, X. 824. — *mediisque ex hostibus*, sc. aliquem. — *quove . . . ore*, ad pudorem referendum, — *ægra*, sc. amore, ut infra vs. 341 : «pectus ægrum» et Verg. Aen. I. 351 : «ægram amantem.» Ceterum *ægra* est coniectura Bæhrensii ; cf. infra adn. crit. — *Dicam equidem, quoniam tu me non dicere, nutrix, Non sinis*, locum imitatur Stat. Theb. IV.

636: «*Dicam equidem*, quo me Lachesis, quo torva Megæra Usque *sinunt*.» — *Dicam equidem*, eadem verba initio hexametri Aen. VI. 722. et XI. 348. — *extremum hoc munus morientis habeto*, ex Verg. Ecl. 8, 60: «Præceps aerii specula de montis in undas Deferar: *extremum hoc munus morientis habeto.*»

V. 268—272. *Ille (vides), nostris qui mœnibus adsidet hostis*, ex Verg. Aen. VI. 760: «*Ille (vides)*, pura iuvenis *qui* nititur hasta» et XI. 304: «cum muros *adsidet hostis.*» — *vides*, Scylla et nutrix ex ὑπερῴῳ spectant castra hostium. — *Quem pater ipse deum sceptri donavit honore*, ex Verg. Aen. VI. 780: «Et *pater ipse* suo *superum* iam signat *honore.*»* — *Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi*, locum imitatur Val. Flac. I. 231: «*Cui* genitor *tribuit* monitu prænoscere divum Omina.» — *circumvehor . . . verbis*, ut Verg. Ge. III. 285: «Singula dum capti *circumvectamur* amore» et Solin. 2, 3: «in dicendo latius circumvecti.» — *præcordia*, pro corde, pectore. Cf. Cic. Tusc. I. 10. 20: «Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit.»

V. 273—275. *Quod per te divum*, ex Verg. Aen. II. 141: «*Quod te per* superos . . . oro» et VI. 303: «*Quod te per* cæli iucundum lumen et auras, Per genitorem oro.» — *divum crebros . . . amores*, ex Verg. Ge. IV. 347: «Aque Chao *densos divum* numerabat *amores.*» — *memori . . . mihi*, gratæ, ut Verg. Aen. IV. 539: «Et bene apud *memores* veteris stat *gratia* facti.» — *si servare potes, ne perdere malis*, ex fragm. Medeæ Ovidianæ (apud Quintil. VIII. 5.): «Servare potui. Perdere an possim, rogas?»

V. 278—282. *malus, o malus*, ut Catull. 61, 135. et 63, 61: «miser, a miser.» — *casusve deusve tulisset*, ex Verg. Aen. IX. 211: «rapiat *casusve deusve*» et XII. 321: «Quis tantam Rutulis cladem, *casusne deusne Attulerit?*» Cf. Ov. Met. XIV. 162—163: «quis te casusve deusve Servat» et Cul. Pseudoverg. 193: «casus

* Cf. Excurs. XV.

sociarit opem numenve deorum.» — *Aut ferro hoc (aperit ferrum, quod veste latebat),* ex Verg. Aen. VI. 406: «At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat) Agnoscas.» — *patris dempsissem vertice crinem,* ut supra vs. 185: «patris... crinem de vertice sectum.» — *mihi præsenti peperissem vulnere letum,* ex Verg. Aen. VI. 434: «qui *sibi letum* Insontes *peperere*» et X. 62: «mora *præsentis leti.*» Cf. Val. Flac. VII. 453: «*Aut* tua *præsenti* virtus educere *leto.*» — *præsenti . . . vulnere,* forfice, quem manu teneo. — *vulnere,* telo; ex Verg. Aen. II. 529—530: «illum ardens infesto *vulnere* Pyrrhus Insequitur» et X. 140: «*Vulnera* dirigere et calamos armare veneno.»

V. 283—285. *Vix hæc ediderat,* ut Verg. Aen. I. 586, III. 655, II. 692: «Vix ea fatus erat.» — *Incanos multo deturpat pulvere crines,* ex Catull. 64. 224: «Canitiem terra atque infuso vulnere fœdans»; Verg. Aen. X. 844: «Canitiem multo deformat pulvere» et XII. 611: «Canitiem immundo perfusam pulvere turpans»; Ov. Met. VIII. 529—530: «Pulvere canitiem genitor vultusque *seniles* (cf. vs. 285.) Fœdat humi fusus spatiosumque increpat (cf. vs. 293.) ævum.» — *Incanos,* ex coniectura Schenkelii: cf. infra adn. crit. — *Pulvere,* falsarius alioquin callidissimus hoc loco oblitus est sui. Unde enim sumit pulverem Carme in cubiculo filiæ regis? — *questu Carme complorat anili,* ex Ov. Met. IX. 276: «questus ubi ponat aniles.»

V. 286—289. *O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,* versum imitatur Claudian. 15. 230: «*O mihi* post Alpes *nunc* primum *reddite,* dixit.» — *iterum crudelis . . . iterum inimice,* ut infra vs. 292: «o bis iam exitium crudele meorum.» — *Nempe in Creta olim natæ te propter eundem, Nunc amor insanæ letum portavit alumnæ,* nempe propter te eundem amor letum portavit olim in Creta filiæ meæ, nunc autem alumnæ. — *Nempe . . . amor,* ut Tibull. II. 3. 28: «*Nempe Amor* in parva te iubet esse casa.» — *Nempe in Creta,* ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *olim natæ te propter eundem . . . amor . . . letum portavit,* Carme in Creta ex

Iove peperit Britomartin nympham, quæ Minoa libidine inflammatum fugiens in mare se præcipitavit. Hanc fabulam celebrasse videtur Valerius Cato epyllio, quod inscribebatur *Diana* sive *Dictyna*; apud Græcos Callim. in Dian. 189. sqq.; Paus. II. 30. 3. et Anton. Liber. 40. — *te propter eundem*, eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. IV. 321. — *Nunc*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *letum portavit*, Carme alumnam luget ut iam mortuam.

V. 290—292. *tam longe captiva avecta*, Carme igitur captiva ex Creta avecta est Megaram. — *captiva*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *Tam grave servitium*, ut Verg. Catal. 3, 5: «Hic grave servitium tibi iam, Romane, ferebat» et Propert. I. 5. 19—20: «Tum grave servitium nostræ cogere puellæ Noscere.» — *tam duros passa labores*, ex Verg. Aen. VI. 437: «et duros perferre labores.» — *o bis iam exitium crudele meorum*, ut Verg. Ecl. 3. 101: «Idem Amor exitium pecori pecorisque magistro» et Aen. VIII. 306: «excidiumque meorum»: Ov. Met. XIII. 500: «Exitium Troiæ nostrique orbator Achilles.» Cirin imitatur Val. Flac. III. 302: «patriæ exitium crudele senectæ» — *o bis iam*, coniecit Housman: cf. infra adn. crit.

V. 293—296. *æquo senioribus*, longius æquo viventi. — *æquo*, ex coniectura Hauptii; cf. infra adn. crit. — *genus*, progenies. — *A!*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *Te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulchri . . . diem potui producere vitæ*, ex Verg. Aen. IX. 481: «tune ille *senectæ* Sera *meæ* requies, *potuisti* linquere solam» et XII. 57: «*spes* tu nunc *una* senectæ.» Cf. Val. Flac. III. 324: «Solus et a prima fueras *spes una* iuventa»

V. 297—300. *grata Dianæ*, erat enim venatrix. — *Venatus esses . . . sectata virorum*, Minos igitur eam conspexit venantem. — *sectata* imitata. — *virorum* viris, non puellis convenientem. — *Gnosia neu Partho contendens spicula cornu Dictæas ageres ad gramina nota capellas*, studia venandi et vita pastoralis una commemorantur, ut Verg Ecl. II 29—30:

«figere cervos Hædorumque gregem viridi compellere hibisco» et Aen. IV. 69—73: «qualis coniecta cerva sagitta, Quam procul incautam *nemora* inter *Cresia* fixit *Pastor* agens telis liquitque volatile ferrum Nescius, illa fuga silvas saltusque peragrat *Dictæos.*» — *Gnosia neu Partho contendens spicula cornu*, ex Verg. Ecl. 10. 59: «libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula» et Aen. XI 773: «Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu» et ibid. IX 606: «et spicula tendere cornu» — *Gnosia*, Cretica. — *neu Partho*, ex Aldin. II.; cf. infra adn. crit. — *Dictæas ageres ad gramina nota capellas*, ex Cul. Pseudoverg. 45: «Propulit e stabulis ad pabula nota capellas» Cf. Dir. 91 92: «capellæ. Mollia non iterum carpetis pabula nota»* et Verg. Ge. IV. 266: «fessas ad pabula nota vocantem.» — *Dictæas*, a Dicte, monte Cretæ.

V. 301—305. *tam obnixe*, adverbium occurrit Plaut Stich. 45 et Terent. Andr. 161; cf. Verg. Ge. IV. 84: «Usque adeo *obnixi*» et Aen. X. 359: «stant *obnixa* omnia contra.» — *fugiens Minois amores*, ex Verg. Aen VI. 14: «fugiens Minoia regna» — *Præceps aerii specula de montis abisses*, ex Verg. Ecl 8. 59: «Præceps aerii specula de montis in undas Deferar.» Britomartis, quam Minos persecutus est, a Dictynæo promunturio in mare se præcipitavit. — *montis abisses*, ex coniectura Scaligeri: cf infra adn. crit. — *abisses*, decidisses; cf. Aen. IX. 695—697: «volat Itala cornus Aera per tenerum stomachoque infixa sub altum Pectus *abit*» — *Unde alii fugisse ferunt et numen Aphææ Virginis adsignant*, alii te Aphææ (ἀπὸ τοῦ ἀφιέναι) nomine inter deos receptam ferunt; cf. Hesych. Ἀφαία, Δικτύνα καὶ Ἄρτεμις et Antonin. Lib. 40: *ἐκφυγοῦσα δὲ Μίνωα ἐξίκετο ἡ Βριτόμαρτις εἰς Αἴγιναν ἐν πλοίῳ σὺν ἀνδρὶ ἁλιεῖ Ἀνδρομήδει* etc. Dea Aphæa in Aegina præcipue colebatur templumque habebat celeberrimum. — *Dictynam dixere tuo de nomine Lunam*, ex Verg Aen. I 533 et III. 166: «Italiam dixisse ducis de nomine gentem» Cf incerti poetæ versus apud

* Cf. infra Excurs. X.

Charisium p. 287, 4. K.: «*Luna*, deum quæ sola vides periuria vulgi, Seu Cretæa magis seu tu *Dictyna* vocaris.» — *Dictynam*, a δικτύῳ, quia piscatores eam de saxo se præcipitantem retibus exceperunt et servaverunt, unde Dictynæ nomen prius Britomarti ipsi in numerum dearum relatæ, deinde Dianæ, cui gratissima erat, inditum est. Cf. Callim. hymn. in Dian. 189. sqq. — *Lunam*, Dianam.

V. 307—309. *Numquam ego te summo volitantem in vertice montis . . . Conspiciam* ex Catull. 65, 10: «*numquam ego te*, vita frater amabilior, *Aspiciam* posthac»; Verg. Ecl. 1, 75—76: «Non ego vos posthac viridi proiectus in antro Dumosa pendere procul de rupe videbo» et Aen. XI. 526: «in speculis *summique in vertice montis*» et ibid. III. 655: «*summo* cum *monte videmus* Ipsum *inter pecudes* vasta se mole moventem Pastorem Polyphemum.» — *Hyrcanos . . . comites*, canes venatorios Hyrcanos; cf. Lucret. III. 478: «canes Hyrcano de semine»; Cic. Tusc. I. 108: «In Hyrcania plebs publicos aiit canes, optumates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse»; Grat. Cyneg. 161. — *comites*, canes, ex Verg. Aen. VIII. 462: «gressumque canes comitantur erilem» et Ov. Rem. 182: «Nec desunt comites, sedula turba, canes.» — *agmenque ferarum*, ex. Ov. Met. XI. 21: «Innumeras volucres anguesque *agmenque ferarum*.» — *nec te redeuntem amplexa tenebo*, ex Verg. Aen. VI. 722: «*nec te* suspensum, nate, *tenebo*» et ibid. VIII. 581—582: «Dum te, care puer, mea sola et sera voluptas, *Amplexus teneo*.»

V. 310—314. *non sic*, ex coniectura Silligii; cf. infra adn. crit. — *remansit*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. et Cæs. B. G. VII. 35: «iisdem sublicis, quarum pars inferior *integra remanebat*, pontem reficere cœpit» — *vox ista meas nondum violaverat aures*, ex Verg. Aen. VIII. 582: «gravior neu nuntius aures *Vulneret*.» — *Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit*, ex Verg. Aen. XI. 42: «Tene, inquit, miserande puer . . . Invidit Fortuna mihi.» — *o sola meæ vivendi causa senectæ*, ex Verg. Aen. VIII. 581—582: «Dum te, care

puer, *mea sola* et sera voluptas Amplexus teneo» et ibid. XII. 57—58: «*spes* tu nunc *una, senectæ* Tu requies miseræ.»

V. 315—317. *Sæpe tuo dulci nequiquam capta lepore,* ex Lucret. I. 15—16. (de Venere): «ita *capta lepore* Te sequitur cupide» et Verg. Aen. XII. 801: «curæ *Sæpe tuo dulci* tristes ex ore.» — *lepore,* ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. — *premeret,* urgeret. — *Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto,* ut tibi sponsæ flammeum luteum texerem. — *Corycio . . . luto,* colore crocino; crocus autem optimus erat Coryci, in urbe Ciliciæ. Ex Hor. Sat. II. 4. 68: «Corycioque croco» et Verg. Ecl. 4. 44: «croceo mutabit vellera luto.» — *glomerarem,* proprie significat primam nendi actionem, cum lana in orbes glomeratur, ut imponatur colo; cf. Ov. Met. VI. 19: «primos lanam glomeravit in orbes.» Hoc loco transfertur ad texturam.

V. 318—321. *aut quæ me fata reservant,* ex Verg. Aen. IV. 368: «Nam quid dissimulo *aut quæ me* ad maiora *reservo*» et ibid. VIII. 575: «Incolumem Pallanta mihi si *fata reservant.*» — *patris de vertice summo,* ut supra vs. 120: «capite in summo regis» — *de vertice summo Edita candentes prætexat purpura canos,* ex Cul. Pseudoverg. 171—172: «cui crista superne *Edita purpureo* lucens maculatur amictu»; Ov. Pont. III 8, 7: «*Purpura* sæpe tuos fulgens *prætexit* amictus» et Rem. 68: «Hæsisset capiti *purpura,* Nise, tuo» et Met. VIII. 79. (Scylla de se): «illa beatum *Purpura* me factura»; Lygd. 1, 10—11: «Pumex cui *canas* tondeat ante comas *Summaque prætexat minium** fastigia chartæ.» — *candentes . . . canos,* sc. capillos; ex Lucret. II. 764: «*canos candenti* marmore fluctus» et Prop. II. 18, 5: «Quid mea si *canis* ætas *candesceret* annis?» — *Quæ tenuis patrio spes sit suspensa capillo,* ex Ov. Pont. IV. 3, 35: «Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.»

V. 322—323. *aliquam possum sperare salutem,* ex Verg. Aen I. 451: «Solve metus: feret hæc *aliquam* tibi fama *salu-*

* Cf. infra Excurs. VI.

tem» et II. 354: «Una salus victis: nullam *sperare salutem.*» — *Inscia quandoquidem*, ut Verg. Ecl. 3, 55: «Dicite, quandoquidem« et Aen. XI. 587: «Verum age, quandoquidem.» — *scelus es conata nefandum*, ex Catull. 64, 397: «tellus *scelere* est imbuta *nefando.*»

V. 326—327. *Per te sacra precor per numinaque Ilithyiæ*, ex Ov. Her. 12, 78—79: «Per genus et *numen* cuncta videntis avi. Per triplicis vultus *arcanaque sacra* Dianæ» et Met. VII. 94—95: «per *sacra* triformis Ille deæ lucoque foret quod *numen* in illo.» — *Per te sacra precor*, intellegenda sunt magica sacra Hecates, i. e. Dianæ infernæ, ut Ov. Her. 12, 79: «arcanaque sacra Dianæ» et ibid. 167—168: «Ipsi me cantus herbæque artesque relinquunt: Nil dea, nil *Hecates sacra* potentis agunt.» — *sacra*, ex Aldina II.; cf. infra adn. crit. — *per numinaque Ilithyiæ*; cf. supra vs. 245: «Per tibi Dictynæ præsentia numina iuro» et adn. ad h. l. — *numinaque*, ex mea coniectura, cf. infra adn. crit. — *Ilithyiæ*, Lunæ, Dianæ; cf. supra vs. 246: «Prima decus quæ dulce mihi te donat alumnam» et adn. ad h. l. Idem nomen in fine hexametri spondiaci Ov. Am. II. 13, 21: «Lenis ades precibusque meis fave Ilithya»; Callim. hymn. Iov. vs. 12: κεχρημένον Εἰλειθυίης et hymn. Del. vs. 123: χάλει μόνον Εἰλείθυιαν. — *Ne tantum in facinus tam nulla mente feraris*, ut Pseudosallust. De republ. II. 22. 6: «Quin furibundus atque amens alienata *mente feraris*»; Verg. Aen. II. 337: «*In* flammas et *in* arma *feror*»; Cul. Pseudoverg. 41: «sed nos ad cœpta feramur.» — *feraris*, ex coniectura Scaligeri; cf. infra adn. crit.

V. 328—330. *fieri quod non pote*, ut Catull. 76, 24: «aut quod non potis est.» — *cum dis contendere*, cum Venere et Amore. — *Sed patris incolumi potius denubere regno*, ex Verg. Aen. XII. 38—39: «Si Turno exstincto socios sum adscire paratus, Cur non *incolumi potius* certamina tollo.»

V. 333—334. *Quod si non alia poteris ratione parentem*, ex Lucret. I. 665: «Quod si forte alia credunt ratione potesse.» — *sed poteris; quid enim non unica possis?*, ut Ov. Met. VII.

167: «Si tamen hoc possunt (quid enim non carmina possint?)» — *unica*, filia unica; Nisus enim non habebat virilis sexus liberos.

V. 338—339. *Meque deosque tibi comites*, ex Verg. Aen. II. 181: «Arma deosque parant comites.» — *deosque tibi comites*. Carme auxilium magicum deorum pollicetur; cf. infra vss. 369. sqq. — *quod texitur ordine*, ut supra vs. 29: «texuntur in ordine pugnæ» — *texitur*, struitur, paratur. — *ordine, longum*, cf. Verg. Aen. I 703—704: «quibus *ordine longam* Cura penum struere.»

V. 340—343. *animi relevaverat æstus*, ex Ov. A. A. III. 695: «meos releves æstus» et Met VII. 815: «relevare velis, quibus urimur, æstus.» — *blanda pectus spe luserat ægrum*, ex Verg. Ecl. 6, 18—19: «nam sæpe senex *spe* carminis ambos *Luserat*» et Aen. I. 352: «et *ægram* Multa malus simulans vana *spe lusit* amantem.» — *Paulatim tremebunda*, ex Ov. Met. XV. 223: «Paulatimque tremens» — *genis obducere vestem Virginis*, virginem in lecto cubantam texit operculo. — *placidam tenebris captare quietem*, supple ex vs. 345: *incipit*. Ex Verg. Aen. IV. 5: «nec placidam membris dat cura quietem» et Ov. Fast. VI. 331: «Vesta iacet placidamque capit secura quietem.» — *captare*, quærere.

V. 344—346 *Inversi bibulum restinguens lumen olivi*, ex Hor. Epist. I. 14. 34: «Quem *bibulum liquidi* media de luce *Falerni*» et Ov. Met. VI. 9: «Phocaico *bibulas tinguebat* murice lanas.» — *Inversi . . . olivi*, in lucernam infusi; cf. Hor. Sat. II. 8. 39: «Invertunt Allifanis vinaria tota» et Claudian. epithal. Pall. et Cer. 117: «desuper calathos largosque rosarum imbres invertunt.» — *Inversi*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *olivi*, cf. ibidem. — *insani pectoris ictus*, cor palpitans. — *præcordia*, pectus.

V. 347—348. *morientis alumnæ*, per auxesin: doloribus pæne immorientis. — *Frigidulos*, forma deminutiva, ut supra vs. 251.; ex Catull. 64, 131: «*Frigidulos* udo singultus ore cientem.» — *cubito subnixa pependit*, ut Verg. Aen. IV. 690: «Ter sese attollens *cubitoque adnixa* levavit.»

V. 349—352. *Postera lux ubi læta diem mortalibus egit*, ex Verg. Ecl. 8, 17: «Nascere præque *diem* veniens *age*, Lucifer, almum» et Ge. IV. 51: «ubi pulsam hiemen *sol* aureus *egit*» et Aen. V. 64: «si nona *diem mortalibus* almum Aurora extulerit» et Aen. XI. 182: «Aurora interea miseris *mortalibus* almam Extulerat *lucem*.» — *egit*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *Et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta*, agitur de stella Luciferi; ex Lygd. 4, 21: «Tandem cum summa Phœbus prospexit *ab Oeta*»; Cul. Pseudoverg. vs. 42: «*Igneus* . . . sol . . . *quatiebat* lumina curru» et 202: «Et piger aurata procedit Vesper *ab Oeta*»; Catull. 62 7: «Nimirum *Oetæos* ostendit Noctifer *ignes*»; Calv. fr. 5. (ed. Lucian. Mueller): «Hesperium *Oeta** iubar *quatiens*.» — *venientem ignem*, ex coniectura Hauptii; cf. infra adn. crit. — *ignem quatiebat*, ut facem. — *Oeta*, hunc montem Thessaliæ sæpe commemorant poetæ Romani exemplo Græcorum, ubi agitur de ortu Luciferi (sive Hesperi) aut Solis. — *Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ, Hesperium vitant, optant ardescere Eoum*, ex Callim. Hecal. fr. 52: *Αὐτὸν μὲν φιλέουσ᾽ αὐτὸν δέ τε πεφρίκασιν, Ἑσπέριον στυγέουσιν, ἀτὰρ φιλέουσιν Ἑῷον* et Catull. 62, 20—23. (cantus puellarum): «Hespere, qui cælo fertur crudelior ignis? Qui natam possis complexu avellere matris, Complexu matris retinentem avellere natam Et iuveni ardenti castam donare puellam.» — *Hesperium . . . Eoum*, de Lucifero eodem atque Vespero cf. Catull. 62, 34—35: «Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens, Hespere, mutato comprendis nomine eosdem» et Cinn. fragm. 8. (ed Lucian. Mueller): «Te matutinus flentem conspexit *Eous*, Et flentem paulo vidit post *Hesperus* idem.»

V. 355—357. *submissis vocibus*, ut supplicem decet; cf. Ov. Met. VII. 90: «auxilium submissa voce rogavit.» — *bonæ Pacis bona*, ut Catull. 60, 19—20: «bona cum bona Nubet alite virgo.» — *Pacis*, deæ. — *Virginis insolito sermo novus errat in ore*, ex

* Ita rectissime emendavit Bæhrens; vulgo: *ante*.

Paneg. in Mess. 202: «Vel bene sit notus summo vel *inerret in ore.*» Cirin imitatur Val. Flac. VI. 674: «roseo pudor *errat in ore.*» — *insolito*, emendavit Pithœus; cf. infra adn. crit.

V. 358—361. *Nunc tremere . . . nunc . . . Nunc alia ex aliis* (vs. 364.), ex Catal. Pseudoverg. 9, 51—53: «*Nunc* celeres Afros . . . Aurea *nunc* rapidi flumina adire Tagi, *Nunc aliam ex aliis* bellando» etc. — *belli certamina*, cf. Lucret. I. 475: «sævi certamine belli», Catull. 64, 394: «Sæpe in letifero belli certamine Mavors», Verg. Aen. X. 146: «duri certamina belli.» — *Communemque timere deum*, Martem; ex Catal. Pseudoverg. 9, 50: «Communem belli nec timuisse deum.» Cf. Hom. Il. 18, 309: ξυνὸς Ἐνυάλιος; Cic. Epist. VI. 4. 1: «Omnis belli Mars communis est»; Liv. XXX. 30: «cum tuas vires tum vim fortunæ Martemque belli communem propone animo.» Auctor Ciris etiam Livii locum ante oculos habuisse videtur. — *regis amicis*, dativus: coram amicis. — *Namque ipsi verita est*, nam regi ipsi hæc dicere non audet. — *orbum flet mœsta parentem*, quod non habeat virilis sexus liberos; ex Cul. Pseudpoverg. 253: «rex *orbus* epops *mœret*» sc. Tereus. — *flet mœsta parentem, Cum Iove communes qui nolit habere nepotes*, non vult iacturam filiorum compensare nepotum gloria. Cf. Catull. 64, 379: «Anxia nec mater discordis *mœsta* puellæ Secubitu caros mittet sperare *nepotes.*» — *Cum Iove communes qui nolit habere nepotes*, cf. Ov. Fast. IV. 35—36: «Anchises, *cum quo commune* parentis Non dedignata est nomen habere Venus.» — *Cum Iove communes*, erat enim Minos filius Iovis. — *qui nolit habere*, ex coniectura Ribbeckii et Hauptii; cf. infra adn. crit.

V. 363—364. *divum . . . formidine*, ex Lucret. VI. 52: «formidine divom.» — *Nunc alia ex aliis . . . omina quœrit*, ex Catal. Pseudoverg. 9, 53: «*Nunc* aliam *ex aliis* bellando *quœrere* gentem.» — *Nunc alia ex aliis*, ut Lucret. II. 979: «Inde *alia ex aliis*» et Verg. Aen. III. 494: «nos *alia ex aliis* in fata vocamur.»

V. 365—368. *Quin etiam*, eadem verba initio hexametri Verg. Ge. III. 457. et Aen. IV. 309, VII. 177, IX. 799. — *castos ausa est corrumpere vates*, ex Verg. Aen. 661—662:

«Quique sacerdotes *casti* . . . Quique pii *vates* et Phœbo digna locuti.» — *cum cæsa pio cecidisset victima ferro,* ex Catull. 64,369: «Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro.» — *pio* . . . *ferro,* cultro sacrificantis. — *generum Minoa* . . . *iungere,* Verg. Aen. VII. 51—57. (de Turno): «quem regia coniunx Adiungi *generum* miro properabat amore» — *auctoribus extis,* ut Verg. Aen. X. 67: «fatis auctoribus.»

V. 369—373. *sulfura,* cuius frequens in magica lustratione usus; cf. Tibull. I. 5, 11—12: «Ipseque te circum lustravi *sulfure* puro, Carmine cum magico præcinuisset anus.» — *Narcissum casiamque herbas incendit olentes,* ex Verg. Ecl. 2, 11. et 49—50: «Allia serpullumque *herbas* contundit *olentes* . . . *Narcissum* et florem iungit bene *olentis* anethi, Tum *casia* atque aliis intexens suavibus herbis.» — *herbas incendit olentes,* ex Verg. Ecl. 8, 65. (de ritu magico): «Verbenasque *adole* pingues» et ibid. vs. 82. (de eadem re): «Sparge molam et fragiles *incende* bitumine laurus» et Ge. IV. 264: «galbaneos suadebo *incendere odores.*» — *Terque novena ligans triplici diversa colore Fila,* ut magico nodo tamquam constringatur animus Nisi, i. e. ut obœdiat voluntati filiæ: ex Verg. Ecl. 8, 73—75: «*Terna* tibi hæc primum *triplici diversa colore* Licia circumdo *terque* hæc altaria circum Effigiem duco» et Ov. Met. XIV. 58: «*Ter noviens* carmen magico demurmurat ore.» Cf. etiam Verg. Ecl. 8, 77—78: «Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores, Necte, Amarylli, modo et: Veneris — dic — vincula necto.» — *ter in gremium mecum . . . despue, virgo,* despuebant antiqui ad fascinationem avertendam; hoc autem loco Carme et Scylla despuunt, ne magici ritus ipsis auctoribus noceant; ex Theocrit. VI. 39: *Ὡς μὴ βασκανθῶ δέ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον, Ταῦτα γὰρ ἁ γραία με . . . ἐξεδίδαξεν* et Tibull. I. 2, 54: «*Ter* cane, *ter* dictis despue carminibus.» — *numero deus impare gaudet,* ex Verg. Ecl. 8, 75: «Effigiem duco: numero deus impare gaudet.»

V. 374—377. *Inde agno venerata Orcum,* magico ritu agnum immolans Plutoni, ut Medea Iolci olim fecit, unde infra vs.

377: »Iolciacis... votis.« Falsarius ante oculos habuit Ov. Met. VII. 243—249. (de Medea Iolci sacra magica faciente): «egesta scrobibus tellure duabus Sacra facit cultrosque in guttura *velleris atri* (i. e. agni atri) Conicit... *Umbrarumque* rogat magna cum coniuge *regem.*» Cf. Hor. Sat. I. 8. 27—28. (de sagis magica sacra facientibus): «pullam divellere mordicus *agnam* Cœperunt» et Lygd. 5. 33: «Interea nigras *pecudes* promittite *Diti*» et Verg. Aen. IV. 636: «Et *pecudes* secum et monstrata piacula ducat... Sacra *Iovi Stygio.*» — *agno*, ex coniectura Mæhlyi, *venerata* ex coniectura Scaligeri. *Orcum* ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *(furialia sacra, Sacra nec Idæis anibus nec cognita Graiis)*, parenthesis! — *furialia sacra*, ex Ov. Met. VIII. 481—482: «Pœnarumque deæ Triplices *furialibus*, inquit, Eumenides *sacris* vultus advertite vestros.» Furialia sacra autem sunt hoc loco ea, quibus Carme Nisum sana mente privare, tamquam in furorem conicere vult, ut voluntati filiæ neglectis omnibus rationibus suis obœdiens fiat, ut Verg. Ecl. 8. 66—67: «Coniugis ut magicis *sanos avertere sacris* Experiar *sensus.*» Eodem sensu Verg. Aen. VII. 375: «serpentis *furiale* malum», ubi agitur de Amata, uxore Latini, cui Alecto (cf. ibid. vss. 347—349): «cæruleis unum de crinibus *anguem* Conicit inque sinum præcordia ad intima subdit, quo *furibunda* domum monstro permisceat omnem»; Cic. Tusc. II. 8. (de veste sanguine Nessi imbuta): «furialis vestis»; Ov. Rem. 699. (de sagittis Amoris): «furiales sagittas» et Met. IV. 506: «furiale venenum»; Val. Flac. VI. 670: «aurum furiale.» — *furialia*, ex coniectura Bothii; cf. infra adn. crit. — *Idæis*, Cretensibus, ut supra vs. 168: «strorace Idæo.» — *Amyclæo spargens altaria thallo*, lauro: multas enim lauros in Eurotæ ripis (in regione Amyclarum) inventas esse docemur Verg. Ecl. 6. 82—83., quem locum falsarius ante oculos habuit: «Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus Audiit Eurotas iussitque ediscere laurus.»* Lauri usum in ritu

* Cf. infra Excurs. VII.

magico videmus etiam apud Verg. Ecl. 8. 82 83: «*Sparge* molam et fragiles incende bitumine *laurus*: Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide *laurum*», quem locum falsarius respexit. — *thallo*, vox Græca: ramo. — *Iolciacis . . . votis*, devotionibus ritibusque magicis, quales Medea, Iasonis coniunx, olim exercebat Iolci; ex Propert. II. 1. 53 54: «Seu mihi Circæo pereundum est gramine, sive Colchis Iolciacis urat aena focis.» — *animum defigere*, devovere ita, ut voluntati Scyllæ obœdiens fiat; cf. Ov. Aen. III. 7, 29: «Sagave pœnicea defixit nomina cera»; Senec. Benef. 6. 35, 1: «caput sanctum dira imprecatione defigis.» — *votis*, devotionibus; ut Dir. 3: «Rura, quibus *diras* indiximus, impia *vota*.»

V. 378—381. *Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum, Nec possunt* etc., ex Verg. Aen. VI. 670: «*Verum ubi nulla* datur dextram adfectare potestas, *Nec potis*» etc. et Ge. IV. 443: «*Verum ubi nulla* fugam reperit *fallacia*.» — *nulla movet . . . fallacia*, ex Verg. Aen. VI. 405: «Si te *nulla movet* tantæ pietatis imago.» — *divi*, sc. ritu magico invocati. — *Tanta est in parvo fiducia crine cavendi*, ex Ov. Met. VIII. 10. (de crine Nisi): «*Crinis* inhærebat, magni *fiducia* regni» et ibid. VI. 73. et III. 270: «tanta est fiducia formæ.» — *fiducia cavendi*, pignus cautelæ, præsidii; *fiducia* eodem sensu Cic. Flacc. 51. et Top. 42. et Ovid. Met. VIII. 10. supra laud. — *Rursus ad inceptum sociam se iungit alumnæ*, ex Aen. IX. 199: «socium summis adiungere rebus.» Cirin imitatur Val. Flac. I. 165: «*socium te iungere cœptis* Est animus.»

V. 382—385. *Purpureumque parat rursus tondere capillum*, ex Propert. III. 19, 22: «Tondens purpurea regna paterna coma.» — *Tam longo . . . amori*, tam magno et diu duraturo; ex Verg. Aen. I. 749: «Dido longumque bibebat amorem» et ibid. III. 487: «et longum Andromachæ testentur amorem.» *Longum* pro magno etiam Verg. Ge. III. 223: «longus Olympus» i. e. cælum magnum. — *Tam*, ex coniectura Heynii; cf. infra adn. crit. — *captat*, cupit, ut Ov. Met. X. 58: «prendique et prendere captans.» — *revehi . . . mœnia Cressa*, *revehi* cum

accusativo nudo. ex Hor. Sat. II. 5. 4: «Non satis est Ithacam revehi»: Cf. Verg. Ecl. I. 64—65: «At nos hinc alii sitientes ibimus Afros. Pars Scythiam et rapidum Cretæ veniemus Oaxen.» — *Cressa*. ex coniectura Schraderi; cf. adn. crit. — *Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto*. ex Calv. fragm. 16. (ed. Bæhrens): «Forsitan hoc etiam *gaudeat* ipsa *cinis*» et Verg. Aen. IV. 34: «Id *cinerem* aut manes credis curare *sepultos*.» Cf. Verg. Aen. X. 827: «Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.»

V. 387—390. *Tum coma . . . Tum capitur . . . Tum suspensa*. ex Catull. 64. 19—21: «*Tum* Thetidis Peleus . . . *Tum* Thetis humanos . . . *Tum* Thetidi pater ipse.» — *coma Sidonio florens . . . ostro*. ex Propert. IV. 3, 51: «Pœnis tibi purpura *fulgeat* ostris» et Ov. Met. VIII. 8. (de Niso): «cui *splendidus ostro* crinis inhærebat. — *Sidonio . . . ostro*. ex Hor. Epist. I. 10, 26: «Non qui *Sidonio* contendere callidus *ostro*.» — *florens*. splendens, ut supra vs. 121: «Candida cæsaries *florebat* tempora circum», ubi cf. adn. — *divum responsa*, cf. supra vs. 119: «Responsum deorum.» — *suspensa . . . de navibus altis . . . trahitur*. ut Propert. III. 19, 26. (de Scylla): «Pendet Cretæa tracta puella rate.» Cf. Schol. ad Dionys. Perieget. 420: *ὡς δὲ Παρθένιος ἐν ταῖς Μεταμορφώσεσι λέγει, ἐπειδὴ Μίνως λαβὼν τὰ Μέγαρα διὰ τῆς Νίσου θυγατρός, ἐρασθείσης αὐτοῦ καί ἀποτεμούσης τῆς κεφαλῆς τοῦ πατρὸς τὸν μόρσιμον πλόκαμον καὶ οὕτως αὐτὸν προδούσης, ἐννοηθείς, ὡς ἡ πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἄν ποτε ῥᾷστα φείσαιτο, προσδήσας αὐτὴν πηδαλίῳ νεὼς εἴασεν αὐτὴν ἐπισύρεσθαι τῇ θαλάσσῃ*. — *Per mare cœruleum trahitur Niseia virgo*, ex Ov. Met. VIII. 142. (Scylla de se): «Per freta longa trahar» et ibid. 35: «virgo Niseia.»

V. 391—393. *Complures illam nymphæ mirantur in undis*. ut Catull. 64. 15: «Aequoreæ monstrum Nereides admirantes.» — *nymphæ mirantur in undis. Miratur pater*. ex Verg. Aen. VIII. 91: «Labitur uncta vadis abies: *mirantur* et *undæ. Miratur* nemus» et ibid. I. 709: «*Mirantur* dona Aeneæ, *mi*-

rantur Iulum.» — *Miratur pater*, ut Sil. Ital. IV. 690: «*Miratur pater* æternos cessare repente Eridanus cursus.» — *cupidas*, videndi cupidas, curiosas.

V. 394—396. *Illam etiam*, supple: miratur. — *iunctis magnum quæ piscibus æquor Et glauco bipedum curru metitur equorum*, ex Verg. Ge. IV. 388: «Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor Et iuncto bipedum curru metitur equorum.» — *glauco . . . curru*, ut Lucret. I. 719: «æquor Ionium *glaucis* aspergit virus ab undis.» — *Leucothee parvusque dea cum matre Palæmon*, ex Ov. Met. IV. 542: «(Neptunus) Leucotheeque deum cum matre Palæmona dixit» et Propert. II. 26, 9—10: «Quæ tum ego Neptuno, quam tum *cum Castore fratri*, Quæque tibi excepi, iam *dea*, Leucothee.» — *Leuocothee*, rectissime ita scribendum censuit Ribbeck. — *dea cum matre Palæmon*, locum imitatur Stat. Silv. III. 2, 39: «diva cum matre Palæmon.»

V. 397—399. *Quin*, ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. *Quin etiam*, eadem verba initio hexametri supra vs. 363. — *alternas sortiti vivere luces*, ut Pindar. Nem. X. 55. de Dioscuris: *μεταμειβόμενοι δ᾽ ἐναλλὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ Δὶ νέμονται*. — *Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum*, ex Verg. Ecl. 4, 49: «Cara deum* suboles, magnum Iovis incrementum.» — *niveos mirantur virginis artus*, ex Catull. 64, 394: «Excipiet *niveos* percussæ *virginis artus*.»

V. 401—403. *Fluctibus in mediis*, eadem verba initio hexametri Hor. Epist. II. 2, 84. — *Ad cælum infelix ardentia lumina tendens*, ex Verg. Aen. II. 405: «Ad cælum tendens ardentia lumina frustra.» — *Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas*, ad verbum ex Verg. Aen. II. 406. Aliter Apollod. III. 210: *Μίνως δὲ Μεγάρων κρατήσας καὶ τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας ὑποβρύχιον ἐποίησεν.*

V. 404—406. *Supprimite o paullum turbati flamina venti*, ex Paneg. in Mess. 124: «Et fera discordes tenuerunt flamina

* Cf. infra Excurs. VIII.

venti» et Cic. Arat. vs. 100. (ed. Bæhrens): «simul inter flamina venti» et Catull. 64, 239: «pulsæ ventorum flamine nubes.» Similiter ventos alloquitur naufragus apud Propert. III. 7, 57: «Di, maris Aegæi quos sunt penes æquora, venti.» — *Supprimite . . . flamina*, ut Propert. IV. 1, 113—114: «tu diruta fletum Supprime . . . Troia.» — *turbati . . . venti*, furentes, ex Verg. Aen. VIII. 435: «Aegidaque horriferam, *turbatæ* Palladis arma.» Cf. Lucret. V. 492—493: «Nec liquidum corpus *turbantibus* aeris *auris* Commiscet.» — *Dum queror et divos (quamquam nil testibus illis Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora*, ad verbum ex Verg. Ecl. 8, 19—20. — *quamquam nil testibus illis Profeci*, promisit enim Minos dis testibus se Scyllam uxorem ducturum; cf. infra vss. 414—415: «Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere coniunx Dicta tibi.»

V. 407—410. *Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ*, post hunc versum excidit versus, ubi Scylla post ventos et auras allocuta est volucres in aere. — *Vos, Pandionia de gente*, alloquitur Procnen et Philomelam in aves mutatas, de quibus supra vss. 197—198: «vagæ blandæque *volucres*, *Vosque adeo*, humanos mutatæ corporis artus.» Poeta ante oculos habuit Cul. Pseudoverg. vs. 251—253: «Iam *Pandionias* miserandas prole *puellas*, Quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex Orbus epops mæret volucres evectus in auras»: Cirin imitatur Senec. Oct. 8: «*Pandioniæ* volucres» i. e. Procne et Philomela. Cf. etiam Propert. I. 18, 29—30: «Et quodcumque meæ possunt narrare querelæ, Cogor ad argutas dicere solus *aves*.» — *Pandionia . . . de gente*, Pandion enim erat pater Procnes et Philomelæ, unde Cul. Pseudoverg. vs. 251: «Iam *Pandionias* miserandas prole *puellas*.» — *Pandionia*, ex coniectura Heynii: *siquæ*, ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *illa ego sum cognato sanguine vobis*, ex Ov. Pont. IV. 3, 11: «*Ille ego sum*, quamquam non vis audire, vetusta Pæne puer puero iunctus amicitia» et Verg. Aen. XII. 29: «*cognato sanguine* victus.» — *cognato sanguine*, cf. Apollod. III. 15: *Πανδίονι δὲ ἐν Μεγάροις ὄντι παῖδες ἐγένοντο Αἰγεὺς Πάλλας Νῖσος Λύκος*. — *salva . . .*

te... Procne, pace tua; cf. Ov. Met. XV. 109: «Corpora missa neci salva pietate fatemur.»

V. 412—415. *Certatim ex omni petiit quam Græcia regno*, ex Catal. (Pseudoverg.) 9, 30: «Optabant Graiæ quam sibi quæque manus.» — *Qua curvus terras amplectitur Hellespontus*, hoc loco Hellespontus ponitur pro Aegæo mari; ex Cul. Pseudoverg. vss. 337—338: «Reddidit heu Graius pœnas tibi Troia, ruenti, *Hellespontiacis* (i. e. ad promunturium Capherei in mari Aegæo) obiturus reddidit *undis*.» — *curvus*, propter multos sinus. — *terras amplectitur Hellespontus*, ex Catull. 64, 30: «Oceanusque mari totum qui *amplectitur orbem*» et Verg. Aen. VIII. 369: «Nox ruit et fuscis *tellurem amplectitur* alis.» — *Hellespontus*, idem nomen ablativo casu in fine hexametri spondiaci Catull. 64, 358; apud Græcos poetas Ἑλλήσποντος eodem loco: Apoll. Rhod. I. 395. et Dionys. Perieg. 821. — *Minos, sacrato fœdere coniunx Dicta tibi*, ex Catull. 64, 373: «Accipiat *coniunx* felici *fœdere* divam.» Cf Schol. Eurip. Hippolyt. 400: *Σκύλλα θεωρήσασα τὸν Μίνω... συνετάξατο αὐτῷ προδοῦναι τὴν πόλιν, εἰ λάβοι αὐτὴν γυναῖκα, ὁ δὲ συνέθετο*; Hygin. Fab. 198: «cum autem Minos Cretam rediret, eum (Scylla) *ex fide data* rogavit, ut secum aveheret.» *non respicis*, non curas, ut infra 454: «Iam tandem casus hominum, iam *respice*, Minos!» — *respicis*, ex mea coniectura: cf. infra adn. crit. — *audi*, ex coniectura Vollmeri: cf. infra adn. crit.

V. 416—420. *gurgitis undas*, ex Cul. Pseudoverg. 369: «gurgitis unda.» — *adsiduas... ex ordine luces*, ex Verg. Ge. III. 341: «Sæpe diem noctemque et totum *ex ordine* mensem» et ibid. IV. 506: «totos... *ex ordine* menses.» — *Non equidem me alio possum contendere dignam Supplicio*, ex Ov. Met. VIII. 126—127. (Scylla de se): «gaudete malis modo prodita nostris Mœnia! nam fateor, merui et sum digna perire.» — *patriam carosque penates... Addixi*, ex Lucret. III. 85: «Nam iam sæpe homines *patriam carosque* parentes Prodiderunt» et Ov. Met. VIII. 90: «proles ego regia Nisi

Scylla tibi trado *patriæque* meosque *penates.*» Cirin imitatur Lucan VII. 43: «quisquis *patriam carosque penates.*» — *immitique . . . tyranno,* ex Verg. Ge. IV. 492: «immitis rupta tyranni Fœdera.» — *ingrata,* ex Heinsii coniectura; cf. infra adn. crit. et Ov. Met. VIII. 128. (Scylla de se): «quos *impia* læsi.»

V. 421—423. *Verum istæc . . . illos scelerata putavi . . . Facturos,* ut Ov. Met. VIII 128—129. (Scylla de se): «Sed tamen ex illis aliquis, quos impia læsi, Me perimat!» — *nostra . . . fœdera,* cf. supra vs. 414: «sacrato fœdere coniunx» et adn. ad h. l.

V. 429—432. *vultu decepta puella Ut vidi, ut perii,* cf. Catull 64, 86. et 91—92: «Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo . . . Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina, quam cuncto concepit corpore flammam.» — *Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error,* ad verbum ex Verg. Ecl. 8, 41. — *Non equidem ex isto speravi corpore posse Tale malum nasci,* ut Catull. 64, 175—176: «Nec malus hic celans dulci crudelia forma Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.» — *ex isto . . . corpore,* tam pulchro. — *speravi,* metui, ut Verg. Aen. IV. 419: «Hunc ego si potui tantum *sperare* dolorem.» — *forma vel sidera fallas,* cælestes, divos; ex Hor. Carm. II. 8. 9—12. (de puella pulchra): «Expedit matris cineres opertos *Fallere* et toto taciturna noctis *Signa cum cælo* gelidaque divos Morte carentes.»

V. 433—436. *Me non deliciis commovit regia dives,* regia luxuriosa, thesauris abundans; ut Catull. 69, 4: «perluciduli *deliciis* lapidis.» — *Dives curalio,* ex Aldina I.; cf. infra adn. crit. — *curalio,* eadem forma Lucret. II. 811: «Inter *curalium* virides miscere zmaragdos.» — *lacrimoso electro,* cf. Ov. Met. II. 363—365. (de sororibus Phaethontis in arbores mutatis): «cortex in verba novissima venit: Inde fluunt *lacrimæ* stillataque sole rigescunt De ramis *electra* novis, quæ lucidus amnis Excipit et nuribus mittit gestanda Latinis.» — *electro,* idem verbum in fine hexametri spondiaci Verg. Aen. VIII. 402:

«Quod fieri ferro liquidove protest *electro.*» Cf. Dion. Perieg. 293: *Δάκρυ ἀμέλγονται χρυσαυγέος ἠλεκτροῖο.* — *non florentes æquali corpore nymphæ . . . retinere*, ut Enn. Alex. v. 44. (ed Ribbeck): «Virgines vereor æqualis, patris mei meum factum pudet.» — *florentes æquali corpore nymphæ*, ex Verg. Aen. I. 71: «præstanti *corpore nymphae*» et Ge. IV. 459—460: «At chorus *æqualis dryadum* clamore supremos Implerunt montes.» — *æquali*, æquæva. — *nymphæ*, puellæ hoc loco, nuptæ apud Ov. Her. 1, 27: «Grata ferunt *nymphae* pro salvis dona maritis.» — *incensam*, sc. amore; ex Catull. 64, 97: «Qualibus *incensam* iactastis mente puellam Fluctibus.»

V. 437—440. *Omnia vicit Amor: quid enim non vinceret ille*, ex Verg. Ecl. 10. 69: «Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori» et ibid. 2, 68: «Me tamen urit *amor: quis enim* modus adsit amori?» — *pingui . . . myrrha*, unguento ex myrrha facto; ex Ov. Medic. 88: «Et modicum e *myrrhis pinguibus* adde cubum.» — *Pronuba . . pinus*, tæda nyptialis. — *castos accendet pinus honores*, ex Verg. Aen. VII. 71: «castis adolet dum altaria tædis.» — *Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro*, ex Catull. 64, 47-49: «Pulvinar vero divæ geniale locatur Sedibus in mediis, *Indo* quod *dente* politum Tincta tegit roseo conchyli *purpura* fuco» et Propert. II. 13, 21: «Nec mihi tum fulcro *sternatur lectus eburno.*» Cf. Catull. 64, 163: «Purpureave tuum consternens veste cubile»: Hor. Sat. II. 6, 102—103: «rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos»; Varr. Sat. Menipp. fr. 447. (ed. Buecheler): «Cum in eborato lecto ac purpureo peristromo cubare videas ægrotum.» — *Libys . . . lectulus*, ex ebore, dente Libyco factus, ut Propert. II. 31, 12: «valvæ Libyci nobile dentis opus.» — *Libys*, Libycus, ut Ov. Met. III. 617. et 676. — *Assyrio . . . ostro*, Syrio, Phœnicio: ex Verg. Ge. II. 465: «Alba neque *Assyrio* fucatur lana veneno.»

V. 441—442. *Magna queror*, ut Ov. A. A. II. 631. et Met. II. 214: «Parva queror.» — *alumna*, nutrix! Cf. Varr. Sat. Menipp. fr. 141. (ed. Buecheler): «Et ecce de improviso ad

nos accedit cana Veritas, Attices philosophiæ alumna»; Mart. Cap. I. 86: «Ceres *alumna* terrarum ac *nutrix* mortalium.» — *iniecta Tellus tumulabit harena*, ex Catull. 64, 153: «neque iniecta tumulabor mortua terra» et Ov. Met. VII. 361. et Pont. I. 49: «tumulatus harena.»

V. 443—446. *Mene inter matres* etc., vss. 443—446. falsarius ante oculos habuit Catull. 64, 160: «At tamen in vestras potuisti ducere sedes, quæ tibi iucundo famularer serva labore»; Ov. Her. 3, 69. (Briseis ad Achillem): «Victorem captiva sequar, non nupta maritum: Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus. Inter Achæiades longe pulcherrima matres In thalamos coniunx ibit eatque tuos . . . Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus Et minuent plenas stamina nostra colos»; Propert. IV. 4. 33—34. (verba Tarpeiæ): «O utinam ad vestros sedeam captiva penates, Dum captiva mei conspicer ora Tati.» — *inter matres ancillarumque catervas*, inter matronas et ancillas Megarenses a Minoe captas; ut supra vs. 143: «matrum comitumque catervam» et Lucret II. 628: «matrem comitumque catervas» et Ov. Met. XII. 216: «cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva.» — *Mene alias inter . . . gravidos penso devolvere fusos*, ex Verg. Ge. IV. 347—348: «dum *fusis* mollia *pensa Devolvunt*. — *Mene alias inter*, inter alias famulas. — *famularum munere . . . gravidos penso devolvere fusos*, ut Prop. III. 15, 15. «A quotiens famulam pensis oneravit iniquis» et ibid. IV. 7. 41: «Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.» — *Coniugis atque tuæ*, *atque* secundo loco sententiæ, ut supra vs. 47: «Promissa *atque* diu.»

V. 448—450. *Iam fesso tandem fugiunt de corpore vires*, ex Catull. 64, 189: «Nec prius a *fesso* secedent *corpore* sensus.» — *caput inflexa lentum cervice recumbit*, ex Verg. Aen. IX. 432: «inque umeros *cervix* conlapsa *recumbit*» et ibid. III. 631: «*Cervicem inflexam* posuit»; Ov. Her. 16, 238: «versa *cervice recumbo*» et Met. IX. 236: «imposita clavæ *cervice recumbis*» et ibid. X. 195: «Ipsa sibi est oneri *cervix* umeroque *recumbit*.» — *adductis tabescunt bracchia nodis*, ex Propert.

II. 20, 9. «Me licet æratis astringant bracchia nodis.» — *adductis*. adstrictis. — *tabescunt bracchia*, torpescunt, ut Verg. Aen. I. 173: »Et sale tabentes artus in litore ponunt.» — *tabescunt*, ex coniectura Schraderi; cf. infra adn. crit.

V. 451—454. *Aequoreæ pristes*, ex Germ. Arat. 371: «Aequoreæ pristis.» — *pristes, immania corpora ponti*, ex Lucret. IV. 393—394: «immania ponti Aequora» et Verg. Aen. III. 427: «immani corpore pistrix.» — *pristes, immania corpora*, ut Verg. Aen. V. 822: «immania cete.» — *Undique conveniunt*, eadem verba initio hexametri Verg. Aen. V. 293. et IX. 720. — *glauco in gurgite*, ut Lucret. I. 719: «æquor Ionium *glaucis* aspergit virus ab *undis*.» — *Verbere caudarum*, ex Hor. Sat. II. 7, 49: «verbera caudæ.» — *oris minitantur hiatu*, locum imitatur Sil. Ital. VI. 278: «lassoque tamen minitatur hiatu.» — *oris . . . hiatu*, ut Verg. Aen. XI. 680: «oris hiatus.» — *casus hominum iam respice*, ut Verg. Aen. I. 462: «Sunt lacrimæ rerum et mentem mortalia tangunt.» — *respice*, ut supra vs. 415: «etsi non *respicis*», ubi cf. adn.

V. 456—457. *Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis, Vel casu incerto, merita vel denique culpa*, ut Verg. Aen. X. 109—110: «Seu *fatis* Italum castra obsidione tenentur, Sive *errore malo* Troiæ monitisque sinistris.»

V. 459—461. *Labitur interea*, eadem verba initio hexametri Lucret. IV. 1123. — *sinuantur lintea coro*, ut Ov. Met. II. 875: «sinuantur flamine vestes.» — *Flectitur in viridi remus sale*, ex Catull. 64, 183: «lentos *incurvans* gurgite remos» et Verg. Aen. III. 384—385: «Trinacria *lentandus* remus in unda Et *salis* Ausonii lustrandum navibus æquor.»

V. 463—467. *Deserit angustis* etc. vss. 463—465. ante oculos habuit Stat. Theb. V. 332: «*Præterit* hinc ante scopuloso in limite pendens Infames *Scirone* petras ditemque *Corinthon* Linquit et in mediis audit duo litora campis.» — *angustis . . . faucibus*, ut Verg. Aen. XI. 525: «Angustæque ferunt fauces.» — *faucibus*, sinu Corinthio et sinu maris Aegæi. — *Cypselidæ magni*, Periandri, filii Cypseli, tyranni Corinthiorum. — *Co-*

rinthum, ex coniectura Heynii; cf. infra adn. crit. — *abruptas Scironis . . . arces*, cf. Strab. IX. p. 391: *μετὰ δὲ Κρομμυῶνα ὑπέρκεινται τῆς ἀκτῆς αἱ Σκειρωνίδες πέτραι... ὑπὲρ αὐτῶν δ' ἐστὶν ἡ ὁδὸς ἡ ἐπὶ Μεγάρων καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀπὸ τοῦ Ἰσθμοῦ... ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται τὰ περὶ τοῦ Σκείρωνος καὶ τοῦ Πιτυοκάμπτου τῶν λῃζομένων τὴν λεχθεῖσαν ὀρεινήν, οὓς καθεῖλε Θησεύς*. — *protinus arces*, eadem verba in fine hexametri Sil. Ital. XVII. 618: «reserantur protinus arces.» — *Infestumque suis diræ testudinis exit Spelæum*, sub saxis Scironis fuit *spelæum*, sedes testudinis, quæ devorabat corpora hospitum a Scirone de rupe deiectorum; cf. Prop. III. 22, 37—38 (de iisdem saxis): «non hospita Grais Saxa.» — *suis*, civibus Scyllæ, qui sæpe per viam Scironis ire cogebantur. — *Spelæum*, idem Græcum verbum Verg. Ecl. 10, 52: «inter spelæa ferarum.»

V. 468—472. *tutum . . . Piræea*, ex Ov. Fast. IV. 567—564: «Sunion expositum *Piræaque tuta* recessu Linquit.» — *notas . . . Athenas*, propter cognationem cum regibus Athenarum; cf. supra vs. 409: «cognato sanguine» et adn. ad h. l. — *prospectat*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *Iam procul e fluctu Salaminia respicit arva*, ex Verg. Aen. III. 554: «Tum *procul e fluctu* Trinacria cernitur Aetna» et ibid. IV. 236: «Lavinia *respicit arva*.» — *Florentesque videt iam Cycladas*, cf. Ov. Met. VII. 464. (de navigatione Minois): «*Florentemque* thymo Syron planamque Seriphon (vs. 477.) Marmoreamque Paron» (vs. 476.). — *hinc sinus illi Sunius, hinc statio contra patet Hermionea*, ex Verg. Aen. III. 551—552: «*Hinc sinus* Herculei . . . Tarenti Cernitur, attollit se diva Lacinia *contra*» et ibid. II. 23: «Nunc tantum *sinus* et *statio* male fida carinis.» — *sinus*, ex coniectura Hauptii; cf. infra adn. crit. — *Hermionea*, Hermione. Argolidis oppidum, contra Sunion situm.

V. 473—474. *Linquitur ante alias longe gratissima Delos Nereidum matri et Neptuno Aegæo*, ex Verg. Aen. III. 73—74. (de Delo): «Sacra mari medio colitur *gratissima* tellus *Nereidum matri et Neptuno Aegæo*» et ibid. III. 124: «*Linquimus*

Ortygiæ portus.» Cf. Ov. A. A. II. 79 80: «fuerant Naxosque (cf. infra vs. 477.) *relictæ* Et Paros (cf. vs. 476.) et Clario *Delos* amata deo» et Met. VIII. 221: «fuerant *Delosque* Parosque *relictæ.*» — *ante alias longe gratissima*, cf. Catull. 68, 159: «Et *longe ante* omnes mihi quæ me *carior* ipso est» et Lygd. 4, 93: «Et *longe ante alias* omnes mitissima mater.» — *Nereidum matri*, Doridi.

V. 475—477. *Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon*, ex Catull, 64, 52: «Namque fluentisono *prospectans litore* Diæ» et ibid. 63, 121: «*spumosa* ad *litora* Diæ» et Verg. Aen. V. 124—125: «Est procul in pelago saxum *spumantia* contra *Litora.*» — *Marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donysam Et Diam*, ex Verg. Aen. III. 125—127: «Bacchatamque iugis *Naxon viridemque Donusam* Olearum niveamque *Parum.*» — *Marmoreamque Paron*, eadem verba initio hexametri Ov. Met. VII. 465. — *Belbinam* ex coniectura Reitzensteinii; cf. infra adn. crit. — *sementiferam*, ἅπαξ εἰρημένον; cf. Strab. VIII. p. 375: Βέλβινα . . . κριθοφόρος ἱκανῶς. — *atque*, ex mea coniectura.

V. 478—480. *ad omnia*, versus omnes partes, ad omnes partes; ex Cul. Pseudoverg. vs. 168: «Tendebant acres venientis *ad omnia* visus.» — *omnia ventis . . . turbo*, ex Cul. Pseudoverg. vs. 348: «Undique mutatur cæli nitor, *omnia ventis*, omnia *turbinibus* sunt anxia.» — *Cumba velut, magnas sequitur cum parvula classes Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo*, ex Catull. 25, 12—13: «æstues velut minuta magno Deprensa navis in mari vesaniente vento» et Verg. Ge. III. 470: «Non tam creber agens *hiemem* ruit æquore *turbo.*» Cirin imitatur Stat. Silv. I. 4, 120: «immensæ veluti conexa carinæ Cymba minor, cum sævit hiems, pro parte furentes Parva receptat aquas et eodem volvitur austro.» — *Cumba . . . parvula*, ex Propert. I. 11, 10: «*Parvula* Lucrina *cumba* moretur aqua.» — *Afer . . . turbo*, ventus Africus. — *bacchatur . . . turbo*, ex Hor. Carm. I. 25, 11—12: «Thracio *bacchante* magis sub interlunia *vento.*»

V. 481—483. *decus formæ*, ex Verg. Aen. VII. 973: «Hunc *decus* egregium *formæ* movet.» — *ac miseros mutavit virginis artus*, ex Verg. Aen. II. 215: «et miseros morsu depascitur artus.» — *Cæruleo pollens coniunx Neptunia regno*, Amphitrite; ex Ov. Met. V. 501: «inferni *pollens* matrona tyranni.»

V. 484—486. *egregiam . . . puellam*, pulchram; ex Lucret. V. 1157: «*Egregias* animo facies vigilante videbant» et Verg. Aen. IV. 150: «*egregio* decus enitet ore.» — *egregiam*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *squamis vestire*, in piscem mutare; cf. Hor. A. P. 3—4: «ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.» — *Infidosque . . . pisces . . . avidum petus Amphitrites*, erat enim verendum, ne Scylla a piscibus maioribus devoraretur. — *Non statuit*, mythographi tamen quidam Scyllam in piscem mutatam esse narraverunt; cf. Hygin. Fab. 198: «Nisus autem, dum filiam persequitur, in avem haliaeton (id est aquilam marinam) conversus est, Scylla filia *in piscem, cirim quem vocant*, hodieque si quando ea avis eum piscem conspexerit, mittit se in aquam raptumque unguibus dilaniat»; Serv. ad Verg. Aen. VI. 286: «Nam et illa Nisi secundum alios in avem conversa est, *secundum alios in piscem.*»

V. 487—489. *Aeriis potius sublimem sustulit alis*, ex Verg. Aen. IV. 239: «pedibus talaria nectit Aurea, quæ *sublimem alis* . . . portant» et ibid. V. 657. et IX. 14: «se paribus per cælum *sustulit alis*» et Ov. Met. XI. 341: «(Apollo Dædaliona) Fecit avem et subitis pendentem *sustulit alis.*» — *Esset ut in terris facti de nomine ciris*, κεῖρις (a κείρειν, ut Ov. Met. VIII. 150—151: «plumis in avem mutata vocatur Ciris et a tonso est hoc nomen adepta capillo.» — *facti de nomine*, ex Verg. Aen. I, 367: «Mercatique solum facti de nomine Byrsam.» — *Amyclæo . . . ansere Ledæ*, cycno, cuius specie Iuppiter decepit Ledam Amyclis. Cf. Ov. Met. XIV. 508—509. (de avibus, in quas socii Diomedes mutati sunt): «Si volucrum quæ sit dubiarum forma, requiris, Ut non cycnorum, sic albis proxima cycnis.» — *formosior ansere*, cf. Ov.

Met. 537—539: «Ales ut æquaret totas sine labe columbas Nec servaturis vigili Capitolia voce Cederet *anseribus* nec amanti flumina *cycno.*»

V. 490—492. *Ac velut in niveo*, cum descriptione (vss. 490—495.) cf. Lucret. II. 924—925: «Quatenus in pullos animalis vertier ova Cernimus alituum» et Ov. Met. VII. 125—129: «Utque hominis speciem materna sumit in alvo Perque suos intus numeros componitur infans Nec nisi maturus communes exit in auras. Sic, ubi visceribus gravidæ telluris imago Effecta est hominis, feto consurgit in arvo.» — *Ac velut in niveo*, solita introductio similitudinis epicæ; cf. Verg. Aen. VI. 757: «*Ac velut* in pratis» et ibid. IV. 441, XII. 715; Propert. III. 15, 31. — *Ac*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *tenera est cum primitus*, ex Verg. Priap. 3, 11: «*Primitus tenera virens* spica mollis arista.» — *tenera est*, ex coniectura Hauptii; cf. infra adn. crit. — *animantis*, pro: animalis; vox Lucretiana! — *internodia membris*, articuli, ut Ov. Met. XI. 793: «longa internodia crurum.» — *membris* in membris. — *novo . . . concreta calore*, ex Lucret. V. 798: «calido solis concreta vapore.» — *fluitant*, natant, ex Verg. Aen. V. 867—868. (de nave): «Cum pater amisso *fluitantem* errare magistro sensit» et Cul. Pseudoverg. vss. 356—357: »Phrygiæ passim vaga præda peremptæ Omnis in æquoreo *fluitat* cum naufraga fluctu.»

V. 493—495. *liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus*, ex Verg. Ge. III. 360—369: «stant *circumfusa* pruinis *Corpora* magna boum» et Manil. V. 563: «Extulit et *liquido* Nereis ab *æquore* vultus» et ibid. V. 612: «*Perfundit liquido* Perseus in marmore *corpus.*» — *Semiferi . . . artus*, ex Verg. Aen. X. 209—210. (de Tritone): «Frons hominem præfert, in pristim desinit alvus, Spumea *semifero* sub corpore murmurat unda» et Lucret. II. 701: «*Semiferas* hominum species existere.» Cf. Ov. Pont. IV. 10, 25: «Scylla *feris* trunco quod latret ab inguine monstris.» — *Undique mutabant atque undique mutabantur*, cf. Cul. Pseudoverg. vs. 348: «Undique mutatur cæli nitor.»

V. 496—498. *Oris honos*, os decorum, ex Lucret. IV. 1171:

»Sed tamen esto iam quanto vis *oris honore.*» Cf. Verg. Aen. X. 133: «Dardanius caput ecce puer detectus *honestum*» et Hor. Epod. 17, 18: «Relapsus atque notus in *cultus honor.*» — *optata labella*, ex Propert. I. 13, 17: «Et cupere *optatis* animam deponere *labris.*» — *patulæ frontis*, latæ. — *gracili*, tenui, acuto.

V. 499—501. *qua se medium capitis discrimen agebat*, ex Verg. Ge. II. 363—364: «dum *se* lætus ad auras Palmes *agit*» et ibid. II. 74: «Nam *qua se medio* trudunt de cortice gemmæ» et Aen. X. 381—382: «*discrimina* costis Per *medium* qua spina dabat.» — *patrios . . . honores*, ornamentum patris, i. e. crinem purpureum; ex Verg. Aen. V. 601: «patrium servavit honorem.» Cf. ibid. VIII. 814—815: «ut regius ostro Velet *honos* leves umeros.» — *Puniceam concussit apex in vertice cristam*, ex Verg. Aen. X. 270—271: «Ardet *apex* capiti *cristisque* a *vertice* flamma Funditur», ibid. II. 682—683: «summo de *vertice* visus Iuli Fundere lumen *apex*», ibid. XII. 492—493: «*apicem* tamen incita summum Hasta tulit summasque *excussit vertice cristas*», ibid. VI. 779: «viden ut geminæ stent *vertice cristæ.*» — *Puniceam . . . cristam*, purpuream; cf. Cul. Pseudoverg. vss. 171—172: «cui *crista* superne Edita *purpureo* lucens maculatur amictu; Verg. Ge. III. 372: «*Puniceæve* agitant pavidos formidine pinnæ» et Aen. XII. 750: «*puniceæ*, sæptum formidine pinnæ.» — *apex*, cf. Plin. N. H. X. 121: «In capite paucis animalium *apices*, diversi quidem generis, phœnici plumarum serie e medio eo exeunte alio, pavonibus crinitis arbusculis, stymphalidis cirro, phasianæ corniculis, præterea parvæ avi, quæ ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.»

V. 502—504. *At mollis varios intexens pluma colores*, ex Verg. Aen. X. 192. (de Cycno in olorem verso): «Canentem *molli pluma* duxisse senectam» et ibid. VII. 488: «*Mollibus intexens* ornabat cornua sertis.» — *volucri vestivit tegmine corpus*, ex Cic. Arat. 423. (ed. Bæhrens): «Bacchica quam viridi *convestit tegmine* vitis.» — *Lentaque . . . bracchia*, ex

Ov. Her. 19, 48: «*Lentaque* dimotis *bracchia* iactat aquis.» *perpetuas . . . pinnas,* continuas, ut Verg. Aen. VII. 76: «*Perpetuis* soliti patres considere mensis.»

V. 505—507. *Hinc feminis partes . . . Crura . . . pedibus,* ex Ov. Met. XIV. 64—65. (de Scylla): «Et corpus quærens *femorum crurumque pedumque* Cerbereos rictus pro *partibus* invenit illis.» Cf. Varr. R. R. III. 9: «galli feminibus pilosis, cruribus brevibus.» — *Hinc feminis,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *feminis,* pro: femoris, ex Verg. Aen. X. 788: «(ensem) Eripit a *femine.*» — *minioque infecta rubenti Crura,* ex Verg. Ecl. 10. 27: «Sanguineis ebuli bacis *minioque rubentem*» et Tibull. II. 1, 55: «*minio* suffusus . . . *rubenti.*» — *Crura nova macies obduxit squalida pelle,* cf. Ov. Met. XIV. 578—579. (de ardeis): «Et sonus et *macies* et pallor et omnia, captam Quæ deceant urbem.» — *squalida,* aspera; aves enim in cruribus asperam habent pellem. Cf. Lucret. II. 458—461: «Nam quod fluvidus est, e *levibus* atque rotundis Est, et *squalida* multa creant admixta doloris Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum est: Scilicet esse globosa tamen, cum *squalida* constent» et Verg. Aen. X. 313: «Per tunicam *squalentem* auro.» — *ungues adfixit acutos,* ex Verg. Aen. I. 45: «scopuloque *infixit acuto*» et Propert. III. 7, 61: «alcyonum scopulis *adfigar acutis.*» Avis hoc loco descripta videtur eadem esse atque ardea illa, quam viri docti nunc *bubulcum ibin* sive *ardeam bubulcum* vocant, quæ in Aegypto potissimum habitat, sed sæpe conspicitur etiam in litoribus Europæ meridionalis. Habet re vera in apice cristam rubram; cf. *Brehmii*: Thierleben. t. IV. p. 705. Eam ab haliaeto molestari non est mirum: vescitur enim uterque piscibus, sunt igitur rivales.

V. 508. *At,* ex coniectura Lœnsis; cf. infra adn. crit.

V. 510—513. *Numquam illam posthac,* ex Catull. 99, 16: «Numquam iam posthac.» — *Purpureas flavo retinentem vertice vittas,* ex Catull. 64. 63: «Non *flavo retinens* subtilem *vertice* vittam» et ibid. 64, 309: «At roseæ niveo residebant *ver-*

tice vittæ.» — *Non thalamus Syrio fragrans accepit amomo, Nullæ illam sedes,* ex Catull. 68. 144: «*Fragrantem Assyrio* venit odore domum» et ibid. 6. 7: «cubile . . . *Syrio fragrans olivo*» et Verg. Ecl. 4. 25: «*Assyrium* vulgo nascetur *amomum*» et Aen. XI. 567: «*Non* illum tectis *ullæ,* non mœnibus urbes *Accepere*» et Catull. 64, 87: «(virgo) Regia. quam suaves exspirans castus odores Lectulus . . . alebat.» — *Syrio,* ex coniectura Heynii; cf. infra adn. crit. — *sedes,* domus.

V. 514—516. *sese cano de gurgite velox Cum sonitu ad cælum stridentibus extulit alis,* ex Verg. Aen. IX. 14: «in cælum paribus se *sustulit alis*» et ibid. I. 397: «ludunt *stridentibus alis.*» Cf. Ov. Met. IV. 616: «Aera carpebat tenerum stridentibus alis.» — *cano de gurgite,* ex Catull. 64, 18: «e gurgite cano.» — *Cum sonitu.* ut Verg. Ge. I. 327; Aen. II. 466, VIII. 525, X. 266. — *Et multum late dispersit in æquora rorem,* ex Verg. Ge. IV. 431: «Exultans *rorem late dispersit* amarum.» Cf. Lucret. IV. 421: «rorem salis», Verg. Ge. I. 385. (de volucribus pelagi): «*largos* umeris infundere *rores*»: Aristoph. Ran. 1309: *ἀλκυόνες . . . νοτίοις πτερῶν ῥανίσι χρόα δροσιζόμεναι.*

V. 517—519. *nequiquam e morte recepta,* servata; ex Verg. Aen. V. 80: «*recepti Nequiquam* cineres» et ibid. VII. 244: «relliquias Troia ex ardente *receptas.*» Cirin imitatur Val. Flac. VII. 285: «corpus de *morte receptum.*» — *e,* supplevi; cf. infra adn. crit. — *Incultum solis in rupibus exigit ævum,* ex Verg. Aen. XI. 569: «Pastorum in* *solis exegit* montibus *ævum.*» — *solis in rupibus,* ut Catull. 64, 154. et Verg. Ecl. 10, 14: «sola sub rupe.» — *Rupibus et scopulis et litoribus desertis,* ex Verg. Ge. III. 253: «Non scopuli rupesque» et ibid. 276: «Saxa per et scopulos et depressas convalles.» — *litoribus desertis,* ut Catull. 64, 133: «Perfide, *deserto* liquisti in *litore,* Theseu» et Verg. Aen. II. 24: «Huc se provecti *deserto* in *litore* condunt.» — *desertis,* idem verbum in fine hexametri

* Cf. infra Excurs. IX.

spondiaci Verg. Aen. XII. 863: «Quæ quondam in bustis et culminibus *desertis*.

V. 520—523. *Nec tamen hoc ipsum pœna sine*, cf. paraphasin *'Ορνιθιακῶν* Dionysii (II. 14. p. 119. ed. Duebner in Poet. bucol. et didact.): *ἡ δὲ κιρρὶς ἀξίαν τῶν ἀσεβημάτων δίδωσι δίκην . . . μισεῖται δὲ παρὰ πάντων ὀρνέων. κἂν ἁλιαίετος αὐτὴν θεάσηται πλανωμένην, εὐθὺς ἐπιθέμενος διαφθείρει.* — *Omnia qui imperio stellarum milia versat*, Iuppiter; ex Lucret. V. 1196—1197: «deum . . . immensa potestas . . . vario motu quæ candida *sidera verset*» et Catull. 66, 1—2: «*Omnia qui . . . stellarum* ortus comperit» et Verg. Aen. IV. 269. (de Iove): «*cœlum* et terras qui numine *torquet*» et ibid. IX. 93: «*torquet* qui *sidera* mundi.» — *Omnia . . . stellarum milia*, ut supra vss. 247—248: «omnia . . . digna atque indigna laborum Milia.» — *stellarum*, ex coniectura Bæhrensii; cf. infra adn. crit. — *Commotus talem* etc., indignatus: vss. 522—523. falsarius ante oculos habuisse videtur Verg. Aen. VII. 770—771: «Ac pater omnipotens aliquem *indignatus* ab umbris Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ.» — *ad superos volitare*, ut supra vss. 204—205: «ad *superum* sedes haliæetos et qua Candida concesses adscendet ciris honores.» — *pater extinctus*, quomodo Nisus mortuus sit, ex hoc epyllio non comperimus. Secundum Hygin. Fab. 242: «Nisus Martis filius crine fatali amisso ipse se interfecit.» Aliter Apollod. III. 210., qui non solum regnum, sed etiam vitam Nisi a crine fatali pependisse narrat: *ἀπέθανε δὲ καὶ Νῖσος διὰ θυγατρὸς προδοσίαν. Ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι. Ἡ δὲ θυγάτηρ αὐτοῦ Σκύλλα ἐρασθεῖσα Μίνωος ἐξεῖλε τὴν τρίχα.* — *caeca sub nocte*, ex Verg. Aen. VI. 268: «Ibant obscuri *sola sub nocte* per umbram.» Cirin imitatur Claudian. 15, 221: «*cœca sub nocte* vocati.»

V. 524—526. *Illi pro pietate sua . . . Reddidit* (vs. 527.) ex Catull. 76, 26: «O di *reddite* mi hoc *pro pietate* mea.» — *sæpe nitentum Sanguine taurorum supplex resperserat aras*,

ex Verg. Aen. III. 20: «*nitentem* Cælicolum regi mactabam in litore *taurum*» et Lucret. V. 1201: «*aras sanguine* multo Spargere quadrupedum» et Catull. 64, 230: «*tauri respergam sanguine* dextram» et Verg. Catal. 14, 7—8: «maxima *taurus* Victima sacratos *sparget* honore *focos.*» — *Sæpe deum largo decorarat munere sedes,* ex Catull. 66, 92: «Sed potius *largis* adfice *muneribus*» et Verg. Aen. X. 619: «et tua *larga Sæpe* manu multisque *ornavit* limina donis.»

V. 527—529. *optatam . . . vitam,* ex Cul. Pseudoverg. 79: «Qui magis *optato* queat esse beatior *ævo.*» — *haliæetos,* cf. Hygin. Fab. 198: «Nisus . . . in avem haliaeton (id est aquilam marinam) conversus est» et Ov. Met. VIII. 146: «factus erat fulvis haliæetos alis.» — *coruscis,* quia alis coruscat, i. e. vibrat; ex Verg. Ge. IV. 73. (de apibus): «pinnisque *coruscant*.» Cf. Catull. 66, 53: «impellens *nictantibus* aera pinnis» et Lucret. II. 320: «Et satiati agni ludunt blandeque *coruscant.*»

V. 530—532. *damnata deorum Iudicio,* cf. supra vs. 219: «Non accepta piis promittens munera divis.» — *pactique et coniugis,* Minois; ut supra vss. 414—415: «Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere coniunx Dieta tibi.» Ex Verg. Aen. X. 721: «Purpureum pinnis et *pactæ coniugis* ostro» et Ov. Met. XIV. 451: «*pactaque* furit pro *coniuge* Turnus.» Cf. schol. ad Dionys. Perieg. 420: *Μίνως . . . ἐννοηθείς, ὡς ἡ πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἂν ποτε ῥᾷστα φείσαιτο, προσδήσας αὐτὴν πηδαλίῳ νεὼς εἴασεν αὐτὴν ἐπισύρεσθαι τῇ θαλάσσῃ* et Propert III. 19, 25—28: «At vos, innuptæ, felicius urite tædas: Pendet Cretæa tracta puella rate. Non tamen immerito! *Minos* sedet arbiter Orci: Victor erat quamvis, *æquus* in hoste fuit.» — *pactique et,* atque etiam pacti. — *pactique,* ex coniectura Ellisii; cf. infra adn. crit. — *odium crudele parentis,* ex Verg. Aen I. 361: «odium crudele tyranni.»

V. 533—537. *in ætherio signorum tramite,* in zodiaco; ex Propert. IV. 1, 107—108: «Aspicienda via est *cœli* verusque per astra *Trames*» i. e. zodiacus. Cf. Ov. Met. II. 130: «Sec-

tus in obliquum est lato curvamine *limes*» i. e. zodiacus; Verg. Ge. I. 238—239: «et *via* secta per ambas (sc. zonas temperatas cæli). Obliquus qua se signorum verteret ordo.» — *tramite*, ex coniectura mea; cf. infra adn. crit. — *Unum quem duplici stellarunt munere divi, Scorpios*. nam Scorpius duo tenet in zodiaco signa, et chelæ eius efficiunt signum Libræ; cf. Germ. Arat. 548: «Scorpios hinc *duplo* quam cetera possidet orbe Sidera, per chelas geminato lumine fulgens» — *duplici stellarunt munere divi*, duplex signum ei in zodiaco dederunt; ex Cic. Arat. XXXII. vss. 5—6. (ed. Baehrens): «stellaque iungens Una tenet duplices communi lumine formas», i. e. Scorpius. — *stellarunt*, stellis ornarunt; cf. Plin. N. H. XXXVII. 100. (de sandastro gemma): «Accedit et religio narrata siderum cognatione, quoniam fere hyadum dispositione ac numero *stellantur*.» Ceterum *stellarunt* scripsi ex Housmanni coniectura; cf. infra adn. crit. — *munere divi*, munus deorum est mutatio in sidus; cf. Ov. A. A. I. 557. (Bacchus ad Ariadnam): «*Munus* habe cælum: cælo spectabere sidus» et Fast. V. 543—549. (de Orione): «Latona nitentibus astris Addidit et: Meriti *præmia* — dixit — habe!» — *divi*, ex Housmanni coniectura; cf. adn. crit. — *Scorpios æterno clarum fugat Oriona*, ex Ov. Her. 16, 205: «Non dabimus certe socerum tibi *Clara fugantem* Lumina» et Germ. Arat. 644: «exoriens, quom *clarus* fugerit amnes, *Scorpios Oriona fugat*, pavet ille sequentem.»* Scilicet quoties Orion occidit, altera ex parte Scorpius oritur. Cf. Arat. vss. 303. sqq. et Hygin. Astron. II. 26, III. 33. — *æterno*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. — *clarum . . . Oriona*, ut Arat. vs. 518: εὐφεγγέος Ὠρίωνος et Germ. Arat 723: «*claro* se movet ortu *Orion*.» — *Oriona*, idem nomen eodem casu in fine hexametri spondiaci. Verg. Aen. III. 517: «Armatumque auro circumspicit *Oriona*.» Cf. etiam Cic. Arat. vs. 3. (*Orionis* eodem loco hexametri); apud Aratum ipsum Ὠρίωνος eodem loco vs. 232, 518, 677, 755; Ὠρίωνα vs. 636.

* Cf. infra Excurs. XI. et XIV.

et 754. — *tristes haliæetos iras*, ut Verg. Ecl. 2, 14: «Tristes Amaryllidis iras» et Aen. III. 366: «Tristes denuntiat iras.» — *memori . . . fato*, fato, quod nos memores facit vitæ prioris eorum; eodum sensu Hor. Carm. I. 13, 12: «Impressit *memorem* dente labris *notam*.»

V. 538—541. Ad verbum ex Verg. Ge. I. 406—409.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læva sinunt auditque vocatus Apollo.

Verg. Georg. IV. 6—7.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

Cum codices Ciris, qui ad nos pervenerunt, omnes sæculo XV. (aut XVI.) sint scripti præter Bruxellensem sæculi XII., qui tamen inde a versu 454. tantum incipit, summa offendimur difficultate verba poetæ incredibilem in modum iam in archetypo corrupta emendaturi. Non enim corruptelæ sunt hic primum sanandæ, sed coniecturæ librariorum semidoctorum removendæ, sub quibus latent veteres corruptelæ. Nihil certe proficeremus, si litterarum formis adhærendo temptaremus emendationem; efficaciora fortioraque medelæ genera sunt adhibenda sensusque scriptoris ex locis auctorum, quos sequebatur, restituendus. Audendum igitur: audaces Fortuna iuvat

*

V. 5. *Tum mea*: codices — *Nec mens:* coniecit Puetzius. *queret:* codices — *quivit:* ex mea coniectura. Poeta ante oculos habuit Catull. 65, 3: «*Nec potis est* dulces Musarum expromere fetus *Mens* animi.» In eodem versu *sibi:* codices — *Tibi* emendavi. Scriptor enim alloquitur Messallam imitaturque Lucret. III. 419—420: «*Conquisita* diu dulcique reperta labore *Digna tua* pergam disponere *carmina* cura» et Cul. Pseudoverg 10: «Ut *tibi digna tuo* poliantur *carmina* sensu.»

V. 11. *morem:* codices — *amorem:* ex coniectura Leopardi. Cf. Lucret. I. 919—920: «Et simul incussit suavem mi in pectus *amorem Musarum*» et ibid. I. 19: «Omnibus incutiens *blandum* per pectora *amorem*»; Catull. 76, 13: «Difficile est longum subito *deponere amorem.*»

V. 12. Quod si mirificum . . . *genus omnes . . .* : codices — Quod si mirificum *sophiæ nemus omne tenerem* : emendavi, ubi Ellis supplevit *sophiæ*.

V. 13. *sæcli* : codices — *Valeri* : conieci. Necessaria hoc loco videtur allocutio Valerii Messallæ ; mirum enim esset, si auctor versu 54 primum alloqueretur Messallam. *velle* : codices : *nosse* conieci. Eodem modo alloquitur Memmium Lucret. I. 325—326: «Quod *tibi cognosse* in multis erit utile rebus Nec sinet errantem dubitare et quærere semper De summa rerum.» Origo corruptelæ: pro *nosse* in scriptura minuscula legebatur *nolle*.

V. 15. *Quattuor* : codices — *Quæ tribus* : emendavi. Agitur de tribus heredibus Epicuri : de Hermarcho, cui scholam, de Amynomacho et Timocrate, quibus rem familiarem Epicurus reliquit. Falsarius ante oculos habuit testamentum Epicuri apud Cic. de fin. II. 101 : «ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione, itemque omnibus mensibus vicesimo die Lunæ dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur.» Cf. Excurs. XII.

V. 40. *Aeternum* : codices. — *Aeterno ut* : emendavi ; est enim epitheton ad *carmine* referendum ; coniunctio autem *ut* necessaria videtur, ut sententia cum præcedentibus apte iungatur, quod iam Nicolaus *Loensis* (Misc. Epiph. VIII. 24.) vidit. Cf. Lucret. I. 115 : «Ennius *æternis* exponit *versibus*» et Paneg. in Mess. 34 : «*Aeterno* sed erunt tibi magna volumina *versu*.»

V. 47. Promissa atque diu iam tandem exordia . . . : Arundelianus Corsinianus Vaticanus. — *sumant* : ita explevi lacunam in fine versus. Cf. adn. exeg.

V. 48. *amplis* : codices. — *magnis* : ex vetere coniectura. Auctor imitatur Verg. Aen. III. 307 : «*magnis exterrita* monstris» et ibid. VII. 376 : «ingentibus excita monstris.» Origo corruptelæ : dittographia propter præcedens *exterrita*.

V. 58. *ærumnis* : codices — *errantis* : ex Ellisii coniectura. Codicum lectio explicari nequit ; nam si *ærumnas Ulixi* de

Odyssea intellegimus, quid *sæpe legamus* hoc loco sibi velit, non possumus explicare. Ergo *sæpe* intellegendum de multis illis scriptoribus, apud quos hæc fabula legitur; *errantis* autem referendum ad illud Homeri: ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη. Falsarius respexit Verg. Aen. III. 620—621: «Talia monstrabat relegens *errata* retrorsus Litora Achæmenides, comes infelicis *Ulixi*» et Propert. II. 14, 3: «Non sic *errore* exacto lætatus *Ulixes*, Cum tetigit caræ litora *Dulichiæ*.»

V. 66. *Cratein:* codex Vaticanus; *Gratinei:* alii codices — *Cratæin ait:* rectissime emendavit Heynius. *erithei:* codices — *Cratæis:* editio Aldina ann. 1534

V. 67. Sive illam *monstro* genuit *gravena biformi*: codices: Sive illam *monstrum* genuit *grave Echidna biformis:* rectissime coniecit Haupt *Monstrum grave* enim est Echidna, serpens ingenti corpore: scriptor ante oculos habuit Cul. Pseudoverg. 166 (de serpente ingenti): «Obvia vibranti carpens *gravis* ore trilingui.» Secundum Hygin. Fab. Præf. Echidna erat mater Scyllæ. *Biformis* est Echidna secundum Hesiod. Theog. 297: «Ἔχιδναν, Ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρηον, Ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε.

V. 70. *speciem:* codices — *speciem est:* supplevi, nam, quod sequitur, *mutata* non est hoc loco epitheton, sed prædicatum sententiæ.

V. 72. *timidam seva:* Helmstadiensis et Vaticanus; *scævam nudā:* Rehdigeranus — *timidam vacua*: emendavit *Baehrens*. Origo corruptelæ: pro *vacua* in scriptura minuscula legebatur *væva*.

V. 80. ante 79. posuit Haupt, quod sententiarum conexus postulare videtur.

V. 88. *Pachynus:* codices — *papyrus:* rectissime legitur in editione Aldina ann. 1517. *Pachynus* ex coniectura librariorum semidoctorum, qui hoc nomen legerunt in fine hexametri apud Verg. Aen. III. 429. et 699; VII. 289.

V. 90. *Omnia:* codices — *Somnia:* emendavit Heinsius. Agitur de vanis commentis poetarum; scriptor respexit Lucret.

I. 98–99. (ad Memmium): «Quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt *Somnia*, quæ vitæ rationes vertere possunt» et Lydiæ vss. 44–45: «nisi vilis *fama locuta est Somnia.*»

V. 92. *meditanti mittere:* plurimi codices; *meditati mittere:* Vaticanus — *meditate emittere:* emendavi; nam duo dativi, *meditanti* et *cupido* (vs. 93.) hoc loco tolerari non possunt. *cæcos:* Helmstadiensis; *cæcos:* Rehdigeranus; *cetos:* Arundelianus; *certos:* Vaticanus — *vestros:* emendavi; scriptor enim ante oculos habuit Catal. Pseudoverg. 9, 7—8: «Nec minus idcirco *vestros* expromere *cantus* (i. e. cantus Musarum) Maximus et sanctos dignus inire *choros.*»

V. 94. *altaria:* codices — *alabastria:* emendavit Bergk; agitur enim de postibus Musarum, quos poeta, amator earum, odoribus suavissimis ungit; ex Lucret. IV. 1153. sqq.: «At lacrimans exclusus amator limina sæpe Floribus aut sertis operit *postesque* superbos *Unguit* amaricino.»

V. 96. *Deponunt:* codices — *Dependent:* coniecit Heinsius. Falsarius respexit Propert. I. 16, 7. (ianua meretricis de se): «Et mihi non desunt turpes *pendere* corollæ.»

V. 115. *Attica:* codices — *Carica:* emendavi; Megara enim non erat in Attica sita: cf. supra adn. exeg. et Excurs. XIII.

V. 118. *Dicere:* codices — *Reicere:* emendavit Heinsius. Ex *reicere* certe *deicere* factum est primum; deinde *dicere*. Poeta respexit Verg. Aen. XI. 629–630: «Bis Tusci Rutulos egere *ad mœnia* versos, Bis *reiecti* armis respectant terga tegentes.» *indomitas:* codices — *indomitum:* emendavit Baehrens. *mentes:* libri manuscripti. — *Martem:* emendavit Heinsius. Inepte dicitur *mentes retundere*. Falsarius imitatur Verg. Aen. II. 440–441: «Sic *Martem indomitum* Danaosque ad tecta ruentes Cernimus obsessumque acta testudine limen.»

V. 120. *a:* codices — *in:* scripsi. Candida cæsaries certe non capite *a* summo, sed capite *in* summo regis florebat.

V. 121. *florebant:* codices — *florebat:* emendavi. *lauro:* codices: *circum:* emendavi. Nullus est locus hic mentioni

lauri; *florebat* autem idem significat, quod *fulgebat* et iungendum cum *cæsaries*. Scriptor respexit Verg. Aen. XII. 161 163: «Latinus Quadriiugo vehitur curru, cui *tempora circum* Aurati bis sex radii *fulgentia* cingunt.» Origo corruptelæ: pro *circum* legebatur *aurum*, unde librarii semidocti coniecerunt *lauro*, cum verba *tempora lauro* in fine hexametri posita vidissent apud Verg. Aen. III. 81; V. 246, 539.

V. 125. *firmarant numine:* codices — *formarant nemine:* emendavi. De hac emendatione vide infra Excurs. IV.

V. 130. *fuerat:* codices — *ruerat:* emendavit Ribbeck. Hoc loco *ruerat* ponitur pro *ruisset;* scriptor respexit Verg. Aen. II. 368: «*Urbs* antiqua *ruit* multos dominata per annos.»

V. 136. *docuit:* codices — *novit:* ex coniectura Hauptii. Hoc loco lectio codicum inepta est. Origo corruptelæ: ex *novit* factum est *nocuit*.

V. 139. *periuria:* codices — *fera iurgia:* coniecit Bæhrens. Codicum lectio absurda est: cogitandum de altercationibus Iunonis cum aliis deabus bello Troiano et præcipue cum Venere, de quibus Verg. Aen. X. 16. sqq.

V. 140. *se meminere:* codices. — *ipsæ metuere:* coniecit Bæhrens; scriptor enim respexit Verg. Aen. XI. 406: «se *pavidum* contra mea *iurgia* fingit» et Propert. I. 3, 18: «Expertæ *metuens iurgia* sævitiæ.» *diu:* codices — *et cui:* conieci; intellege: cui puella Scylla sacrarium læserat.

V. 141. *Non nulli:* codices — *Nulli non:* coniecit Ribbeck. *liceat:* codices plurimi; *lictam:* Vaticanus — *sanctam:* coniecit Bæhrens. *Nullus non*, ut apud Ciceronem *nemo non*, ponitur pro: *omnes*.

V. 149. *cumque:* codices — *quoque:* emendavit Ellis. *relapse:* codices; *ea lapsa est:* coniecit Mæhly. Scylla scilicet pila lusit et, quo ea lapsa est, procurrens paulatim sacrario Iunonis appropinquavit.

V. 153. *vellem tua:* codices — *velamina:* coniecit Sudhaus; videtur enim falsarius vss. 151—153. ante oculos habuisse Verg.

Aen. I. 648: «*pallam* signis *auroque* rigentem Et circumtextum croceo *velamen* acantho.»

V. 159. *dicto:* codices plurimi; *dictu:* Helmstadiensis — *iactu:* coniecit Mæhly. Cf. Val. Max. I. 5, 9. supra in adn. exeg. laud. Origo corruptelæ: haplographia propter præcedens *iniuria*.

V. 161. *terret:* codices — *tætro:* coniecit Haupt. *thirintia:* Helmstadiensis; *tyrynthia:* Vaticanus — *torrentia:* coniecit Schrader. *visu:* codices — *viro:* coniecit Haupt. Falsarius ante oculos habuit Lucret. II. 468: «*tætri* primordia *viri*», Propert. II. 12, 18—19. (ad Cupidinem): «alio traice *tela* tua: Intactos isto satius tentare *veneno*», Hor. Carm. II. 8, 14—15: «ferus et Cupido Semper *ardentes* acuens sagittas» et ibid. IV. 4, 12. (ad Venerem): «Si *torrere* iecur quæris idoneum.» Vides iam exemplo pulcherrimo doctus, quid potuerint librarii illi semidocti, qui ex corruptela vocis *torrentia* fecerunt *Tirynthia* de Hercule cogitantes! Cum talibus igitur nebulonibus est nobis luctandum.

V. 162. *defixerat omnia:* codices — *defixit acumina:* coniecit Heinsius; agitur de acuminibus venenatis sagittarum; cf. Ov. Her. 21, 212. (Cydippe ad Acontium amatum): «Quod faciat longe vulnus, *acumen* habes.»

V. 168. *picta:* codices — *tincta:* emendavit Schrader rectissime; agitur enim de unguento odorato, non de pigmento capillorum.

V. 169. *Cognita:* codices — *coccina:* emendavit Bæhrens; agitur enim de calceis Sicyoniis purpureis; cf. Verg. Ecl. VII. 32. (de Diana): «*Puniceo* stabis suras evincta cothurno» et Aen. I. 336—337: «Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram *Purpureoque* alte suras vincire cothurno.»

V. 173. *Aereasque:* codices — *Phœbeasque:* emendavi. Agitur de muris Phœbeæ lyræ sonum habentibus; falsarius respexit Ov. Met. VIII. 14. sqq.: «Regia *turris* erat *vocalibus* addita muris, In quibus auratam proles Letoia fertur Deposuisse lyram: saxo sonus eius inhæsit. Sæpe illuc solita est

ascendere filia Nisi Et petere exiguo resonantia saxa lapillo.» Etiam Anth. Plan. 279, 5. lapis hic Megarensis vocatur *λυραοιδός*.

V. 175. *amorem*: codices — *honorem*: conieci. Agitur de luna amantibus amica; luna est autem *honos* i. e. decus cæli. Scriptor ante oculos habuit Verg. Aen. IX. 401—403: «*Suspiciens* altam Lunam sic voce precatur: Tu dea, tu præsens nostro succurre labori, Astrorum *decus*» et Hor. C. S. 1—2: «silvarumque potens Diana, Lucidum *cæli decus*.»

V. 179. ante 178. ponendum rectissime censuit Heyne; nam mentio nendi (vs. 177.) arctissime cohæret cum descriptione texturæ vs. 179.

V. 186. *detonsum*: codices — *desponsum*: emendavi. Codicum lectio molestam tautologiam continet, cum vs. 185. præcedat *sectum*. Poeta imitatur Propert. III. 19, 23—24. (de Scylla): «Hanc igitur dotem virgo *desponderat hosti*: Nise, tuas portas fraude reclusit amor.»

Post vs. 187. excidisse videtur versus unus aut duo; vs. enim 188. legitur: «*Sive* illa ignorans» desideraturque primum *sive*. Cf. supra adn. exeg.

Post vs. 190. eodem modo excidit versus; sententia enim vs. 190. manca est. Cf. supra adn. exeg.

V. 203. *prævertite* aut *pervertite*: codices — *præverrite*: emendavit Heinsius. Scriptor respexit Lucret. I. 278: «Quæ mare, quæ terras, quæ denique *nubila* cæli *verrunt*» et Ov. Am. III. 13, 23—24: «*Qua* ventura dea est, iuvenes timidæque puellæ *Præverrunt* latas veste iacente vias.»

V. 208. *iactabat*: codices — *servabat*: conieci. Codicum lectio sensu caret; falsarius imitatur Verg. Aen. IX. 219—220: «*vigiles* simul excitat: illi Succedunt *servantque* vices» et ibid. II. 567—568: «limina Vestæ *Servantem*.» Apud Livium quoque sæpe legitur: vigilias, custodias *servare*. Origo corruptelæ: librarii semidocti corruptelam archetypi emendare temptabant ex Verg. Ecl. 2, 5: «Montibus et silvis *studio iactabat inani*.» Eodem modo infra vs. 370., ubi Arundelianus et Helmstadiensis

habent genuinam lectionem: *incendit*, in Rehdigerano et Vaticano legitur *contundit*, quod est coniectura librariorum, ex Verg. Ecl. 2, 11: «Allia serpullumque *herbas contundit olentes.*»

V. 214. *Evolat:* codices — *Provolat:* conieci. Cum vs. 213. legatur *Egreditur* (sc. Scylla ex cubiculo), ineptum est hoc loco *Evolat*. Intellege: Scylla, postquam caute egressa est e cubiculo, celeriter *procurrit* usque ad vestibulum thalami (cf. vs. 217.) patris, ubi vires eam deficiunt. Eodem sensu supra vs. 150: «*Procurrit* virgo.» Origo corruptelæ: pro *pro* scriptum est *e* ex præcedente (vs. 213.) *Egreditur*.

V. 215. *umbras:* codices — *auras:* conieci. Codicum lectio explicari nequit. Intellege: Scylla *ad auras cæruleas*, i. e. ad cælum nocturnum testatur sua furta, sidera mundi suspiciens (cf. vs. 218.) et munera divis (cf. vs. 219.) promittens. *Auræ* = cælum, ut sæpissime apud Vergilium; cf. Aen. VI. 733—734: «neque *auras* Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco», ibid. 554: «stat ferrea turris *ad auras*» et alibi sæpe: «tendit, se agit *ad auras*» i. e. ad cælum.

V. 227. *hoc faceres:* codices — *hanc faciem:* rectissime emendavit Pithœus. *subegit:* codices — *subedit:* emendavit Markland. Falsarius imitatur Catull. 66, 23: «Quam penitus mæstas *exedit cura* medullas» et Verg. Aen. VI. 442. et 444: «quos durus amor crudeli tabe *peredit* . . . *curæ* non ipsa in morte relinquunt.» Verbum occurrit apud Ov. Met. XI. 783: «e scopulo, quem rauca *subederat* unda.»

V. 236. *morerere:* codies — *remorere:* legitur in edit. Paris. ann. 1501. Codicum lectio sensu caret. Cf. supra vs. 217: «Vestibulo in thalami paulum *remoratur.*»

V. 246. *dulce mihi:* codices — *mi dulcem:* scripsi verborum ordine commutato. Aliter Ellis: «Prima deum dulcem mihi te quæ donat alumnam.»

V. 249. *seonia:* Helmstadiensis; *saria:* Vaticanus; *scoria:* Arundelianus; *morbo:* Rehdigeranus — *senio:* vir doctus in Misc. Obss. IV. 323. *Senium* hoc loco curam significat, ut Hor.

Ep. I. 18, 47: «inhumanæ *senium* depone Camenæ» et Pers. 6, 16: «curvus ob id *minui senio.*»

V. 250. *velavit:* codices — *nudavit:* coniecit Bæhrens: nutrix enim veste propria circumdat Scyllam. Videtur falsarius ante oculos habuisse narrationem de Myrrha supra vs. 238. commemorata; cf. Anton. Liber. 34: *ἡ δὲ τροφὸς κατακρύψασα τῇ ἐσθῆτι τὴν Σμύρναν παρήγαγεν.*

V. 252. *corona:* codices — *crocota:* rectissime emendavit Scaliger; est enim crocota tunica tenuis feminea.

V. 256. *intra:* codices — *intus:* conieci. Codicum lectio inepta est, quia *intra* non respondet ad interrogationem: quo? Poeta imitatur Cul. Pseudoverg. 290: «nec *rettulit intus* Lumina.»

V. 257. *inquit:* codices — *inquit io:* supplevit Haupt metri lege coactus. Falsarius ante oculos habuisse videtur Ov. Met. III. 442: «Ecquis, *io* silvæ, crudelius, *inquit*, amavit.»

V. 265. *agam:* codices — *ægra:* Bæhrens. Cf. infra vs. 341: «pectus ægrum» et Verg. Aen. I. 351. «ægram amantem.»

V. 266. *quoniam tum non:* Arundelianus — *quoniam tu me non:* correxit Bæhrens.

V. 274. *memoris auctum:* codices — *memori sanctum:* emendavit Sillig.

V. 279. *hunc:* codices — *in:* correxit Drakenborchius.

V. 284. *Intonsos:* codices — *Incanos:* emendavit Schenkl. Codicum lectio absurda est; agitur enim de femina. Poeta ante oculos habuit Catull. 64, 224: «*Canitiem* terra atque infuso pulvere turpans», Verg. Aen. X. 844: «*Canitiem* multo deformat pulvere» et ibid. XII. 611: «*Canitiem* immundo perfusam pulvere turpans.»

V. 288. *Semper aut:* Arundelianus, Helmstadiensis, Rehdigeranus; *Semper et aut:* Vaticanus — *Nempe in Creta:* conieci. Codicum lectio non potest explicari; falsarius respexit Tibull. II. 3, 28: «*Nempe Amor* in parva te iubet esse casa.» Necessaria certe videtur hoc loco ad narrationem sequentem intellegendam Cretæ mentio.

V. 289. *Haud:* Helmstadiensis; *Aut:* alli codices – *Nunc:* conieci, ut opponatur præcedenti (vs. 288.) *olim.* Cf. supra vs. 286: «O mihi *nunc* iterum crudelis reddite Minos!»

V. 290. *capta atque:* codices — *captiva:* emendavit Bæhrens. Codicum lectio inepta est; *capta* enim non potest cum *longe* commode iungi.

V. 292. *obsistam:* codices — *o bis iam:* emendavit Housmann; cf. supra vss. 286—287: «O mihi nunc *iterum* crudelis reddite Minos, o *iterum* nostræ Minos inimice senectæ!»

V. 293. *eaque:* codices — *æquo:* emendavit Haupt. Dicit Carme se seniorem esse æquo, non debuisse tam diu vivere.

V. 294. *Ut:* codices — *A!:* coniecit Bæhrens.

V. 299. *Neupharto* aut *Naupharto:* codices — *neu Partho:* rectissime edit. Aldina ann. 1534.

V. 302. *montibus isses:* codices — *montis abisses:* coniecit Scaliger. *Abire* = in profundum ire, ut Verg. Aen. IX. 695—697: «volat Itala cornus Aera per tenerum stomachoque infixa sub altum Pectus *abit.*»

V. 310. *nobis:* codices — *non sic:* emendavit Sillig. Carme vult dicere se alumna integra non tam ægre tulisse iacturam filiæ.

V. 311. *maneret:* codices — *remansit:* conieci. Nullus est hic locus coniunctivo post *tum cum.* Cf. Cæs. B. G. VII. 35: «iisdem sublicis, quarum pars inferior *integra remanebat,* pontem reficere cœpit.»

V. 315. *sopore:* codices — *lepore:* emendavit Heinsius. Agitur enim de venustate puellæ, non de somno. Codicum lectio certe inepta est: nutrix *capta sopore* alumnæ! Poeta respexit Lucret. I. 15—16. (de Venere): «ita *capta lepore* Te sequitur cupide.» Origo corruptelæ: pro *lepore* in scriptura minuscula legebatur *sepore.*

V. 326. *Perdere sæva:* codices — *Per te sacra:* legitur in edit. Aldina ann. 1534; poeta ante oculos habuit Ov. Her. 12, 78—79: «Per genus et *numen* cuncta videntis avi, Per triplicis vultus arcanaque *sacra* Dianæ» et Met. VII. 94—95: «per

sacra triformis Ille deæ lucoque foret quod *numen* in illo . . . iurat.» *flumina:* codices — *numinaque:* conieci; cf. Ovidii locos supra laudatos et vs. 245. Ciris: «Per tibi Dictynæ præsentia *numina* iuro.»

V. 327. *sequaris:* codices — *feraris:* coniecit Scaliger. Cf. Pseudosallust. De republ. II. 12, 6: «Quin furibundus atque amens alienata *mente feraris*» et Verg. Aen. II. 337: «*In* flammas et *in* arma *feror.*»

V. 335. *ipsa:* codices — *ista:* emendavit vir doctus in Misc. Obss. IV. 327.

V. 337. *incerta:* codices — *incepta:* rectissima edit. Aldina ann. 1534.

V. 341. *iusserat:* Arundelianus et Rehdigeranus; *riserat:* Helmstadiensis — *luserat:* rectissime edit. Aldina ann. 1534.

V. 344. *Inverso:* codices — *Inversi:* conieci. Codicum lectio sensu caret. Eodem versu *olivo:* codices — *olivi:* correxi; genitivus pendet a *bibulum*; ex Hor. Epist. I. 14, 34: «Quem *bibulum liquidi* media de luce *Falerni.*»

V. 349. *almum:* codices — *egit:* conieci. In codicibus sententia caret prædicato; cf. Verg. Ecl. 8, 47: «Nascere præque *diem* veniens *age, Lucifer.*» Origo corruptelæ: librarii semidocti corruptelam archetypi emendare temptabant ex Verg. Aen. V. 64: «si nona *diem mortalibus almum* Aurora extulerit.» Cf. adn. crit. supra ad vs. 208.

V. 350. *veniente mihi:* codices — *venientem ignem:* emendavit Haupt; ex Catull. 62, 7: «Nimirum *Oetæos* ostendit Noctifer *ignes*» et Cul. Pseudoverg. 42: «*Igneus* . . . sol . . . *quatiebat* lumina curru.»

V. 352. *Eoum*, omittunt codices; restituit Bentley ex Callim. Hecal. fragm. 52: *Αὐτὸν μέν φιλέουσ᾽ αὐτὸν δέ τε πεφρίκασιν, Ἑσπέριον στυγέουσιν, ἀτὰρ φιλέουσιν Ἑῷον.*

V. 357. *insolite:* codices — *insolito:* emendavit Pithœus.

V. 361. *quin:* codices — *qui nolit:* coniecit Ribbeck. *habuere:* codices — *habere:* scripsit Haupt. Excidit vox quædam ex hoc versu, sed pro certo suppleri lacuna huc usque

non potuit. An mutandus etiam vs. 360. scribendumque: «*se orbam* flet mæsta *parente* (i. e. matre), Cum Iove communes *quæ vellet habere* nepotes», i. e. si mater viveret, certe vellet tale matrimonium.

V. 371. *ligant:* codices — *ligans:* emendavit Ribbeck.

V. 374. *magno:* codices — *agno:* coniecit Mæhly; falsarius ante oculos habuisse videtur Ov. Met. VII. 244. sq. (de Medea Iolci sacra magica faciente): «Sacra facit cultrosque in guttura *velleris* atri (i. e. *agni* atri) Conicit» et Hor. Sat. I. 8. 27—28. (de sagis magica sacra facientibus): «pullam divellere mordicus *agnam* Cœperunt.» *geminat:* codices plurimi; *generata:* Vaticanus — *venerata:* coniecit Scaliger. *Iovi:* codices — *Orcum:* scripsi; cf. Ov. Met. VII. 249. (de Medea agnum nigrum sacrificante): «*Umbrarumque* rogat magno cum coniuge *regem*»; origo corruptelæ: ex *Orcum* in scriptura minuscula factum est *ovem*. *frigidula:* codices — *furialia:* ex coniectura Bothii; scriptor ante oculos habuisse videtur Ov. Met. VIII. 481—482: «Pœnarumque deæ triplices *furialibus*, inquit, Eumenides, *sacris* vultus advertite vestros.»

V. 383. *Cum:* codices — *Tam:* emendavit Heyne.

V. 384. *crescat:* codices — *Cressa:* emendavit Schrader.

V. 386. *metu:* codices — *iterum:* emendavit Heinsius.

V. 397. *Illi:* codices — *Quin:* emendavi. Nam vss. 391—397. gradatio continetur, cuius summus est gradus, quod non solum dii marini proprie dicti, sed etiam Tyndaridæ, patroni nautarum, Scyllam mirantur. *æternas:* codices — *alternas:* rectissime edit. Aldina ann. 1534.

V. 408. *o Numantina:* codices — *Pandionia:* coniecit Heyne; vss. 407—408. ante oculos habuisse videtur Seneca Octav. 8: «*Pandioniæ volucres.*» Eodem versu *qui:* codices — *quæ:* scripsi; agitur enim de Procne et Philomela, de feminis in aves mutatis.

V. 415. *accipis:* codices — *respicis:* conieci. Sensus est: quamquam tu non curas meas querelas, tamen audi eas; cf. infra vs. 454: «Iam tandem casus hominum, iam *respice*,

Minos.» Origo corruptelæ: ex *respicis* factum est *recipis*, quod cum metri lege non admitteretur, librarii in *accipis* correxerunt. *audis:* codices — *audi:* coniecit Vollmer; Scylla enim Minoa alloquitur eumque querelas audire iubet.

V. 420. *ignara:* codices — *ingrata:* emendavit Heinsius. Scylla non *ignara* perpetravit facinus! Sed certe *ingrata* fuit in patrem patriamque, unde infra vs. 421. *scelerata* et vs. 424: «O ego *crudelis.*»

V. 432. *falle* et man. rec. *fallat:* Helmstadiensis; *fallor:* codices — *fallas:* emendavit Haupt.

V. 434. *Dives*, omissum in codicibus, restitutum rectissime in edit. Aldina ann. 1517. Adiectivum emphatice iteratur ex vs. 433.

V. 441. *ne ut* aut *nec et:* codices — *me ne:* emendavit Heyne.

V. 450. *labescunt:* codices — *tabescunt:* emendavit Schrader.

V. 451. *pestes:* codices — *pristes:* emendavit Barth.

V. 455. *solam:* codices — *Scyllam:* correxit Haupt.

V. 459. *revoluta:* codices — *resoluta:* emendavit Heinsius.

V. 464. *Corinthi:* codices — *Corinthum:* Heynius, ut sit appositio ad regna.

V. 469. *respectat:* codices — *prospectat:* emendavi tautologiæ vitandæ causa; legitur enim vs. sq. *respicit*. Cf. Verg. Aen. VII. 813: «Turbaque miratur matrum et *prospectat* euntem.»

V. 471. *venus:* codices — *sinus:* emendavit Haupt.

V. 477. *Aeginamque:* codices, quod absurdum est, ut chartæ geographicæ primo aspectu docent — *Belbinamque:* emendavit Reitzenstein: est enim Belbina insula in ostio sinus Saronici sita. *salutiferamque:* codices plurimi, quod explicari nequit; *sementiferamque:* Vaticanus — *sementiferam atque:* emendavi, ut epitheton ad Belbinam referatur, non ad Seriphum, cui non convenit; nam sterilem fuisse lapidosamque Seriphum geographorum scriptis docemur. Cf. etiam adn. exeg.

V. 484. *eternam:* Bruxellensis; *externam:* ceteri codices;

et rigidis: Vaticanus — *egregiam* (i. e. pulchram): conieci; cf. Lucret V. 1157: «*Egregias* animo facies vigilante videbant» et Verg. Aen. IV. 150: «*egregio* decus enitet ore.»

V. 490. *Hic:* codices, quod sensu caret — *Ac:* scripsi, nam *ac velut* est solita introductio similitudinis epicæ; cf. adn. exeg. *tenere:* Bruxellensis et Vaticanus; *teneres:* Helmstadiensis; *tener est:* Arudelianus et Rehdigeranus — *tenera est:* emendavit Haupt.

V. 505. *Inde alias:* codices — *Hinc feminis:* scripsi. Omnes enim hoc loco corporis partes enumerantur præter femora, ita ut *aliæ partes* inepte positæ videantur, et ante *crura* et *pedes* aptissima est femoris mentio. Poeta ante oculos habuit Ov. Met. XIV. 64 65 (de Scylla): «Et corpus quærens *femorum crurumque pedumque* Cerbereos rictus pro *partibus* invenit illis.»

V. 506. *novamque acies:* Bruxellensis — *nova macies:* rectissime edit. Aldina a. 1534. *pellē:* Bruxellensis — *pelle:* scripsit Ribbeck.

V. 508. *Et:* codices — *At:* scripsit Loensis; nam etiam initio versus præcedentis *Et* legitur postulaturque hoc loco coniunctio adversativa.

V. 512. *Tyrio:* codices — *Syrio:* Heyne et Bæhrens; cf. Verg. Ecl. IV. 25: «*Assyrium* vulgo nascetur amomum.»

V. 513. *iam:* codices — *cum:* emendavit Heinsius.

V. 517. *morte:* codices — *e morte:* supplevi. Cf. Verg. Aen. VII. 244: «relliquias Troia *ex* ardente *receptas.*»

V. 521. *terrarum:* codices — *stellarum:* emendavit Bæhrens Cf. Catull. 66. 1—2: «*Omnia qui* magni dispexit *lumina* mundi. Qui *stellarum* ortus» et Verg. Aen. IX. 93. (de Iove): «torquet qui *sidera* mundi.»

V. 524. *videmus:* codices — *nitentum:* rectissime editiones veteres.

V. 531. *natique:* codices — *pactique:* emendavit Ellis. Cf. supra vs. 414—415: «Illa ego sum. Minos, sacrato *fœdere coniunx* Dicta tibi» et Verg. Aen. X 721: «Purpureum pinnis et *pactæ coniugis* auro.»

V. 533. *munere:* codices, quod irrepsit huc ex vs. sq. — *tramite:* emendavi. Agitur enim de zodiaco; cf. Propert. IV. 1, 107—108: «via est cæli verusque per astra *Trames*» i. e. zodiacus.

V. 534. *stellarum . . . vidi:* Bruxellensis — *stellarunt . . . divi:* ex Housmanni coniectura. Deorum enim munus est mutatio in sidus; cf. supra adn. exeg.

V. 535. *alternis:* codices — *æterno:* emendavi. Codicum lectio sensu caret; reponendum videtur adverbium *æterno*, cui respondet vs. 537: *ad sæcula*. Contrarium accidit vs. 397., ubi pro *æternas* codicibus tradito legendum procul dubio: *alternas*.

EXCURSUS.

In sterquilino margaritas repperi.

Ex Phædr. Fab. III. 12, 1—2.

EXCURSUS.

I. Ad Verg. Aen. I. 694.

In exordio Ciris, ubi auctor se, laudis amore deposito, philosophiæ Epicureæ perdiscendæ operam dare dicit, legimus hæc (vss. 1—4.):

> ... me vario iactatum laudis amore
> Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
> Cecropius *suaves expirans* hortulus auras
> *Florentis* viridi sophiæ complectitur *umbra.*

Cui loco respondet apud Vergilium Aen. I. 693–694., ubi agitur de Ascanio a Venere sopito et in lucum Idaliæ translato;

> ... ubi mollis amaracus illum
> Floribus et *dulci adspirans* complectitur umbra.

Quæritur: uter sit hoc loco auctor, uter imitator? Interpretes inde ab Heynio culpare Vergilium solent, quod Ascanium parvo amaraci (i. e. Hungarice *majoránna*, Germanice *Majorann*) frutice obumbratum esse dixerit, cum notissimum sit, amaracum non crescere in tantam altitudinem, ut homini umbram præbere possit. Quo *Skutsch* abusus triumphans exclamat: «Der Dichter der Ciris hat den *hortulus Epicuri* in seiner Doppelnatur als Garten und Unterrichtstätte geschildert; die Ausdrücke ergeben in ihrer Vereinigung ein poetisches Bild, ein *Mangel an klarer Anschauung*, wie bei Vergil liegt nicht vor.»* Cui *Leo* ita respondet: «Aber Ascanius

* *Gallus und Vergil,* p. 24.

schläft. Venus hat ihn eingeschläfert und trägt ihn in ihren Hain, da soll er weiter schlafen; seine Kopfhöhe kommt nicht in Betracht, sie bettet ihn auf die duftenden Stauden, die zugleich sein Lager sind und das Haupt des liegenden *beschatten.*»[1] Quæ nemini certe satisfacient: est enim amaracus re vere tam parva, ut ne cubanti quidem *dulcem umbram* præbere possit.

Ego maxime miror neutri venisse in mentem hoc Vergilii loco *umbram* non significare σκιάν Græcorum (i. e. Hungarice *árnyék*, Germanice *Schatten*), sed *frondem*, i. e. folia amaraci, præsertim cum etiam in Ciri hoc ipso loco *umbra* nihil aliud nisi frondem significare possit; agitur enim de *umbra viridi.*[2]

Quærendum igitur, an hac significatione umbræ recepta tolli possit omnis difficultas?

Mea quidem sententia omnia plana fiunt levissima mutatione adhibita, qua me non deterret codicum vetustissimorum auctoritas. Est enim philologorum officium, nostrum, inquam, qui a vera genuinaque antiquitate longis ignorantiæ stultitiæque sæculis dividimur, quidquid ex illa mirabili generis humani iuventute ad nos pervenit, doctrinæ ope purgare sordibus diuturni situs ingeniique acumine ad pristinum reducere splendorem. Eveniat cotidie id quod magnus ille Petrarcha, venturum tempus renascentium in Italia litterarum divino animo præsagiens, in Africa sua[3] cecinit:

. . . poterunt discussis forte tenebris
Ad purum priscumque iubar remeare nepotes.

Quare nos cum Bentleyo, artis criticæ divinatoriæ facile principe, facimus: nobis ratio centum codicibus potior.

Scribamus igitur apud Vergilium **dulce** pro *dulci*, ut *dulce adspirans* significet: dulcem odorem adspirans, pertineatque ἀπὸ κοινοῦ et ad *floribus* et ad *umbra*, sensusque totius loci

[1] In ephemeride *Hermes*, t. 42. p. 38.

[2] Sicut apud Verg. Ecl. IX. 20: «*viridi* fontes induceret *umbra.*»

[3] Lib. IX.

sit: «ubi mollis amaracus illum circumdat, floribus et foliis dulcem odorem ei adspirans.» Nam amaraci non solum flos, sed etiam folia, ut notum est, bene olent. Qua coniectura recepta Vergilius noster a tribunali criticorum «missus abibit.»

Dulce pro adverbio, ut Hor. Carm. I, 22. 23—24: «*Dulce* ridentem Lalagen amabo, *dulce* loquentem» et Epist. III. 2. 9: «Quin etiam canet indoctum, sed *dulce* bibenti.»

Vergilius ante oculos habuit Catull. 64. 67: «(virgo) Regia, quam *suaves expirans* castus *odores* Lectulus in molli *complexu* matris alebat» et ibid. 61. 6—7: «Cinge tempora *floribus* *Suave* olentis *amaraci.*» Cf. etiam Verg. Ge. IV. 415—416:

> . . . at illi
> *Dulcis* compositis *spiravit* crinibus *aura*,

et Aen. I. 403—404:

> Ambrosiæque comæ *divinum* vertice *odorem*
> *Spiravere* . . .

et in *Culice* vss. 87—88., ubi manifesta est Vergilii imitatio:

> . . . illi Panchaia *tura*
> *Floribus* agrestes *herbae* variantibus *adflant.*

II. Ad Culicis vs. 230.

In Culice Pseudovergiliano (vss. 223—231.) culicis umbra ex inferis ascendens apparet in somno pastori eumque, cuius vitam servaverat et a quo necatus erat, ita alloquitur:

> Heu, quid ab officio digressa est gratia, cum te
> Restitui superis leti iam limine ab ipso?
> Præmia sunt pietatis ubi, pietatis honores?
> In vanas abiere vices. Et rure recessit
> Iustitia et prior illa Fides. Instantia vidi
> Alterius, sine respectu mea fata relinquens
> Ad pariles agor eventus: fit pœna merenti.
> Pœna sit exitium, modo sit *dum* grata voluntas,
> Existat par officium.

Culex vult certe dicere: «Condono tibi mortem meam, si tu gratus eris et me sepulcri honore veneraberis, ut umbra mea apud inferos quiescere possit.» Quare pastor, ut infra vss. 390. sqq. docemur, re vera sepulcrum erexit culici. Reponendum igitur vs, 230. **tibi** pro corrupto *dum* conferendusque vs. 13. Ciris:

> Mirificum, Valeri, *modo sit tibi* nosse libido,

ubi falsarius, ut sæpissime, Culicem Pseudovergilianum ante oculos habuisse putandus est.

III. De Euphorione Vergilii in ecloga sexta auctore.

Vergilius in ecloga sexta inde a versu 31. usque ad finem nihil aliud sibi proposuit, nisi ut epyllia Euphorionis excerperet atque demonstraret magistrum illum *τῶν νεωτέρων*, præcipue amici sui Cornelii Galli, dignum esse imitatione neque recte iudicasse Ciceronem, qui Catullum sociosque Tusc. Disp. III. 19. 45. *cantores Euphorionis* appellando irrisisset. Cf. de hac re, quæ exposui in libello *De sexta Vergilii* ecloga.* Vss. autem 74—77:

> Quid loquar aut *Scyllam Nisi*, quam fama secuta est
> Candida succinctam latrantibus inguina monstris
> Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
> A! timidos nautas canibus lacerasse marinis,

una cum vss. 78—81., ubi Philomelæ in avem mutatio narratur, referendi videntur ad *Mopsopia* Euphorionis, ad fabularum Atticarum narrationem: Nisus enim erat filius Pandionis, regis Attici, frater Procnes et Philomelæ, sepulcrumque eius ostendebatur apud Lyceum; cf. Pausan. I. 19. 4: *ἔστι δὲ ὄπισθεν τοῦ Λυκείου Νίσου μνῆμα, ὃν ἀποθανόντα ὑπὸ Μίνω βασιλεύοντα*

* Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, a. MCMIX.

Μεγάρων κομίσαντες Ἀθηναῖοι ταύτῃ θάπτουσιν. A Vergilio pendent Ov, Am. III. 12, 21—22:

> Per nos Scylla patri caros furata capillos
> Pube premit rabidos inguinibusque canes,

et A. A. I. 231—332:

> Filia purpureos Nisi furata capillos
> Pube premit rabidos inguinibusque canes,

nec non Propert. IV. 4, 39—40:

> Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos,
> Candidaque in sævos inguina versa canes.

Ergo *malus* ille *auctor*, a scriptore Ciris (vs. 63.) commemoratus, qui Scyllam, Nisi filiam, in monstrum marinum mutatam esse narravit quemque secundum vs. 53. Ciris «complures et magni pœtæ» secuti sunt, Euphorion fuisse putandus est. Eadem fabulæ forma occurrit in Schol. ad Eurip. Hippol. 1200: «(Minos) *μετὰ τὸ παραλαβεῖν τὴν πόλιν ἔλαβεν αὐτὴν* (Scyllam) *ἐπάνω τοῦ πλοίου καὶ ἔδησεν αὐτὴν εἰς τὸ πηδάλιον . . . ἐκπεσοῦσα δὲ ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ θηρίον γενομένη τὴν οἰκείαν φύσιν μετέβαλεν οὐδαμῶς.*

IV. Ad Verg. Ecl. VI. 47.

In Ciri (vss. 122—125.) de crine regis Nisi purpureo, a quo regnum eius pendebat, legimus:

> At roseus medio surgebat vertice crinis:
> Cuius quam servata diu natura fuisset,
> Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
> Concordes stabili *firmarant numine* Parcæ.

Cui loco respondet apud Vergilium (Ecl. IV. 46—47.):

> «Talia sæcla» suis dixerunt «currite» fusis
> Concordes stabili fatorum *numine* Parcæ.

Hic iam *Skutsch* acerba cum ironia Vergilium carpit, quod *fatorum numen* a Parcis, quæ personificent fatum ipsum, in-

epte discernat.[1] et re vera in hoc loco explicando magna offendimur difficultate. *Ladewig* in editione sua[2] hæc adnotat: «*stabili fatorum numine* ist als Abl. causæ zu *concordes* hinzugefügt: da des Schicksals Wille feststeht, reden die Parzen einmütig.» Sed deæ Parcæ, Græce *Μοῖραι* i. e. Fata, sunt personificationes mythicæ fati et apud poetas antiquos procul dubio ipsum fatum significant. Vergilius igitur, cum Parcas, ut interpretes volunt, propter stabilem certamque fati voluntatem concordes esse dicit, *ideam*, quam dicunt, *abstractam* a *personificatione* fatorum discernere videtur, quod ab usu poetarum adeo abhorret, ut hac re *Skutsch* iure offendatur. Nam apud poetas non fata cogunt Parcas concordes esse, sed Parcæ dispensant concorditer fata. Parcæ sunt, ut iam dixi, ipsum fatum ideamque a personificatione distinguere philosophorum munus est, non poetarum. Adde, quod Vergilius versu primo, ubi commemorat *fusos*, Parcas inducit *nentes*; ergo cur non absolvit imaginem poeticam versu secundo, ubi more ceterorum poetarum pergere debebat in describenda nendi actione? Cur non facit hoc loco idem, quod Aen. I. 21—22. fecit dicendo:

> Hinc populum late regem belloque superbum
> Venturum excidio Libyæ: sic *volvere* Parcas,

ubi *volvere* significat: *fusos* volvere.

Quare ego iam pridem hunc locum emendavi pro *numine* scribendo **nemine** (i. e. filo), quod verbum apud scriptores Latinos nusquam repertum legimus in inscriptione quadam,[3] in carmine sepulcrali, cuius auctor etiam in ceteris Vergilium imitatur:

[1] *Vergil und Gallus*, p. 36. sqq.

[2] *Vergils Gedichte*, erklärt von *Th. Ladewig* und *C. Schaper*. Erstes Bändchen: Bukolika und Georgika. Achte Auflage, bearbeitet von *P. Deuticke*. Berlin, Weidmann, 1907.

[3] *Corp. Inscr. Lat.* t. VI. num. 20674. et *Anth. Lat.* pars prior: carmina epigraphica, ed. *Buecheler*, Lipsiæ 1895. Fasc. I. p 203—204.

Sic etenim *duxere* olim *primordia* Parcæ
. . Et *nevere* super vobis vitalia *fila* . . .
Nobis porro alia est trino de **nemine** fati
Dicta dies leti . . .

Hanc meam coniecturam publici iuris feci primum in ephemeride Societatis Philologorum Budapestinensis,[1] deinde in editione Lygdami[2], unde viris doctis etiam extra Hungariam innotuit emendatio. Quam cum plerique maximo cum applausu accepissent, vehementer in me invectus est *Skutsch*,[3] quod talem coniecturam facere ausus essem, cum non solum apud Vergilium, sed etiam in omnibus Ciris codicibus legeretur *numine*. Sensit enim statim, et rectissime sensit, coniectura mea circulos suos turbari.

Nunc igitur novum istum Vergilii interpretem meliora docebo. Nam non solum Vergilii locum, sed etiam Cirin corruptam esse confidenter affirmo. Dicat enim mihi *Skutsch*, quid in Ciri significet: *firmarant Parcæ*? Utrum idem, quod *confirmarant*? At Parcæ non confirmant decretum fati, sed ipsæ decernunt. An idem, quod *affirmarant*? Quo tandem pacto? Parcæ enim nihil solent affirmare (i. e. sententiam de aliqua re dicere, quæ ut vera, sic etiam falsa esse potest), sed, si quando loqui dignantur, prædicunt (canunt) futura carmine fatidico, «carmine — ut Catullus[4] ait — perfidiæ quod post nulla arguet ætas.»

Ex mea igitur sententia etiam in Ciri pro *numine* reponendum est **nemine**, pro *firmarant* autem quærendum est verbum, quod nendi actionem significet. Quare recenseamus verba ad hanc rem pertinentia.

Scriptis antiquorum luculenter docemur actionem nendi ex his constare tribus: primum est lanam de colo deducere, hoc

[1] *Egyetemes Philologiai Közlöny*, t. XXV. p. 337. sqq.
[2] *Lygdami carmina*, Budapestini 1906. p. 167.
[3] Cf. *Deutsche Literaturzeitung*, a. 1906. p. 2884.
[4] Carm. 64. vs. 322.

est *ducere* proprie dictum; secundum est lanam informem in fili formam redigere: hoc est **formare**; tertium est filum iam paratum ope fusorum *versare* sive *torquere* sive *volvere*. In quo maximi sunt momenti, quæ apud Catullum, in *Nuptiis Pelei et Thetidis*,* in eo ipso epyllio, quod auctor Ciris imitandum sibi proposuit et re vera sæpissime imitatur, ubi Parcæ inducuntur nentes, in describenda nendi actione (vss. 311—314.) legimus:

> Læva colum molli lana retinebat amictum,
> Dextera tum leviter deducens *fila* supinis
> *Formabat* digitis, tum prono in pollice torquens
> Libratum tereti versabat turbine filum.

Præterea etiam in *Culice*, in eo carmine Pseudovergiliano, quod auctor Ciris, ut supra in adnotationibus exegeticis docui, pluribus locis imitatur, legimus de tela araneæ (vs. 2.):

«Atque ut araneoli tenuem *formavimus* orsum.» In Ciri igitur pro *firmarant numine* scribendum procul dubio: **formarant nemine**, ut sensus sit: concordes Parcæ stabili filo neverunt regnum Nisi incolume futurum, quamdiu servatus fuisset purpureus regis crinis.

Quæ consuetudini poetarum antiquorum inde ab Homero quam apte respondeant, elucet ex locis hic allatis: Hom. Od. I. 17:

> *Τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι,*

Hom. Il. XXIV. 525—526:

> *Ὣς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν*
> *Ζώειν ἀχνυμένοις,*

Anth. Gr. III. 15, 3.

> *Οὕτως γὰρ Μοιρῶν . . . ἐπέκλωσε λίνα.*

Denique ad verbum pæne idem, quod nos in Ciri reposuimus, dicit Lycophr. vs. 145:

* Carm. 64.

Μοῖραι τριπλαῖς πήναις κατεκλώσαντο.

et Hom. Il. XX. 127—128:

> . . . *ἅσσα οἱ αἶσα*
> *Γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.*

Cf. etiam Antonin. Lib. 2. (de Meleagro): *Ἐπέκλωσαν αἱ Μοῖραι ἐπὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἔσεσθαι χρόνον ἐφ' ὅσον ἂν ὁ δάλος διαμένοι.*

Ex poetis Romanis comparari possunt Tibull. I. 7. 1—2:

> Hunc cecinere diem Parcæ *fatalia nentes*
> *Stamina* non ulli dissoluenda deo;

Lygdam. 3, 35—36:

> Aut si fata negant reditum tristesque sorores,
> *Stamina* quæ ducunt quæque futura *neunt*;

Ovid. Her. 12. 3:

> . . . quæ *dispensant* mortalia fata sorores,

ubi *dispensant* significat: pensa distribuunt; Metam. II. 654:

> . . . triplicesque deæ tua *fila resolvent*,

et ibid. VIII, 451—455. (de Meleagro):

> Stipes erat, quam cum partus enixa iaceret
> Thestias, in flammam triplices posuere sorores
> *Staminaque* impresso *fatalia* pollice *nentes*
> «Tempora» *dixerunt* «eadem lignoque tibique,
> O modo nate, damus.»*

* Locis hic enumeratis addi possunt Propert. IV. 1, vss. 71—74, ubi tamen emendatione opus est:

> Quo ruis imprudens, vage? dicere fata, Properti?
> Non sunt ah dextro *condita* fila colo.
> Accersis lacrimas cantans, aversus Apollo:
> Poscis ab invita verba pigenda lyra.

Vs. 72. pro *condita* legendum candida, ut candida fila significent fatum felix. Cf. Lygdam. 6, 30: «Sis felix et sint *candida fata*

Quare nos hoc **nemen**, tribus iam locis repertum iis adnumeramus verbis, quibus poeta Mantuanus, novator verborum felicissimus, linguam Latinam locupletavit et imitatoribus suis, heredibus fortunatis, utenda permisit. Finxit autem hoc verbum Vergilius ad similitudinem Græci *νῆμα* suo more, unde Hor. A. P. 52 -55:

> **Et *nova* fictaque nuper habebunt *verba* fidem, si**
> ***Graeco fonte** cadant parce detorta. Quid autem**
> **Cæcilio Plautoque dabit Romanus ademptum**
> ***Vergilio?***

Vides iam parvo exemplo doctus, candide lector, quid sit proprium artis nostræ munus. Non enim id solum opus est generi humano, ut novis semper inventis ditetur cognitionis thesaurus, sed etiam summopere cavendum, ne quid, quod semel inventum est, temporum iniuria nobis eripiatur obruaturque iniqua oblivione. Quod ne fieret, inventa est nostra ars, philologia divina, quæ est vere ars non obliviscendi, tamquam memoria generis humani.

Satis præterea, opinor, ex his perspexisti, quo iure Vergilium damnet *Skutsch*, novus ille Zoilus. Altius igitur se præcingere debet, si quis Vergilium dormitantem deprehendere animum induxit. Aliter enim facile ei accidere potest, quod *Skutschio* re vera accidit, ut Vergilium quidem vigilasse, sed se ipsum dormitasse damno suo doctus intellegat.

tua» et Ov. Trist. V. 13, 24: «Non ita sunt *fati stamina nigra* mei» et Epist. ex Pont. II. 4, 30: «Non ita pars *fati candida* nulla mei.»

* Cf. adnotationem *Kiesslingii* ad hunc locum: «Meint nicht griechische Lehnworte, sondern findet seine Erläuterung in Quintilians (VIII. 3,33.) Worten: «Multa ex Græco formata nova ac plurima a Sergio Flavo, quorum dura quædam admodum, ut *queens* et *essentia*» i. e. *οὐσία*. Also *nach der Analogie des Griechischen* gebildete Worte und Formen . . . So tadelt z. B. selbst Quintilian I. 5, 65. das von Virgil nach *ἀνέκπληκτος* gewagte *imperterritus* Aen. X. 770.»

V. Ad Verg. Ecl. VIII. 4.

In quodam fragmento Calvi, quod verisimiliter ex epyllio Ius[1] ad nos pervenit, legimus versum:

Sol quoque perpetuos meminit *requiescere* cursus,

ubi verbum *requiescendi* ponitur sensu transitivo. Idem verbum eodem sensu occurrit in Ciri, ubi agitur de silentio noctis (vss. 232—233.):

Tempore, quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam *requiescunt* flumina cursus.

Cui loco respondet apud Vergilium (Ed. VIII. 1—5.):

Pastorum musam Damonis et Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Cantantes, quorum stupefactæ carmine lynces
Et *mutata* suos requierunt flumina cursus,
Damonis musam dicemus et Alphesibœi.

Hic est locus, ubi maxime exultat *Skutschii* temeritas. «Dass Vergil der Nachahmer ist — inquit — verräth er durch das überflüssige *mutata.*» Sequuntur deinde hæc litteris solito maioribus expressa: «*Hier haben wir also geradezu den aktmässigen Beweis dafür, dass die Ciris zwischen Calvus und Vergils Bucolica fällt.*»[2] Contra *Leo:* «Im Eingang der 8. Ecloge sagt Vergil von den beiden Hirten, dass das Vieh und das Wild mit Staunen ihre Lieder hörte *et mutata suos requierunt flumina cursus*, wo *mutata* keineswegs überflüssig ist, denn die Flüsse *ändern* ihre Natur.»[3] Quæ non sufficiunt ad refutandam *Skutschii* opinionem: nam si *mutare* hoc loco idem significat, quod Hungarice *megváltoztatni*, Germanice *verändern*, certe languet Vergilii versus epithetonque ponitur otiosum.

[1] Calv. fr. 13. ed. Lucianus Mueller.
[2] *Vergil und Gallus*, p. 56.
[3] In ephemeride *Hermes*, t. 42. p. 45.

Sed, ut Vergilium rectius, quam huc usque factum est, interpretemur, recenseamus poetarum antiquorum locos, ubi de silentio totius rerum naturæ agitur. De silentio noctis legimus Ov. Met. VII. 185—187:

. . . homines volucresque ferasque
Solverat alta quies, **rapidi quoque fluminis undæ,***
Sopitis similes, *nullo cum murmure* serpunt
Immotæque silent frondes, silet umidus aer.

De eadem re Stat. Silv. V. 4:

. . . tacet omne pecus volucresque feræque
Et simulant fessos curvata cacumina somnos
Nec trucibus fluviis *idem sonus* . . .

Ad mirabilem cantus potentiam pertinet Callim. Hymn. II. (vss. 18—19.):

Εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοί
Ἢ κίθαριν ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου

* Ita locum emendavi. In codicibus leguntur hæc:

. . . homines volucresque ferasque
186 Solverat alta quies, *nullo cum murmure serpunt*
Sopitis similes, *nullo cum murmure sæpes*
Immotæque silent frondes . . .

Verba genuina in fine vs. 186. loco mota esse primo obtutu patet. Quare vs. 186. pro *nullo cum murmure serpunt* scripsi: *rapidi quoque fluminis undæ*, vs. autem 187. pro *sæpes* reposui *serpunt*. Verisimilitudo coniecturæ meæ elucet ex Ovidii auctoribus et imitatoribus; auctores sunt Tibull. I. 7, 13—14: «An te, Cydne, canam, tractis qui leniter *undis* Cæruleus placidis per vada *serpis* aquis» et Verg. Ecl. VIII. 4: «Et *mutata* suos requierunt flumina cursus»; imitatores Ciris 233: «Qua *rapidos etiam* requiescunt flumina cursus» et Calpurn. Ecl. 2, 15: «Et tenuere suos *properantia flumina* cursus, Desistunt tremulis incurrere *frondibus Euri* Altaque per totos fecere *silentia* montes» et Stat. Silv. V. 4: «*tacet* omne pecus *volucresque feræque* Et simulant fessos curvata cacumina *somnos Nec* trucibus fluviis *idem sonus.*»

et apud Vergilium ipsum Ecl. IX. vss. 57—58., ubi pastor Mœris ita laudat cantum Lycidæ:

> Et nunc omne tibi stratum *silet* æquor et omnes,
> Aspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ;

est autem *æquor* hoc loco æquor fluvii Mincii, *stratum* igitur idem significat, quod supra Ecl. VIII. vs. 4: «requiescunt cursus.» Ergo duæ res commemorantur: quies undarum et *silentium* aquæ.

In Panegyrico ad Messallam agitur de Messalla, novo consule vota pro republica faciente, cuius sacris tota rerum natura tamquam ore favere videtur (vss. 125. et 129., ubi manifesta est Vergilii imitatio):

> Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus...
> Quin largita tuis sunt *muta* silentia votis.*

Legimus præterea Hom. Il. XIV. 16: *ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ;* Apoll. Rhod. IV. 153: *Κῦμα μέλαν κωφόν τε καὶ ἄβρομον;* Arat. 922. et Orph. Argon. 1101: *κωφῆς ἁλός.*

Iam vides, candide lector, ubique non solum de cursu retento, sed etiam de *silentio aquarum* agi. Quare, si ex *cæcus* derivatur *cæcare* et *occæcare,* ex *surdus* fit *surdare* et *obsurdescere,* ex *mutus* (i. e. Hungarice *néma,* Germanice *stumm)* fit *obmutescere,* cur non fingamus ex eodem *mutus* novum verbum **mutare**, i. e. Hungarice *elnémítani,* Germanice *verstummen machen.* Quod autem nobis per leges linguæ

* Idem silentium, quod sacris poscitur, poscunt sibi poetæ canentes; cf. Hor. Carm. II. 13, 29—35. (de Alcæo et Sapphone apud inferos canentibus): «Utrumque *sacro* digna *silentio* Mirantur umbræ dicere, sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum umeris bibit aure vulgus. Quid mirum, ubi illis *carminibus stupens* Demittit atras belua centiceps Aures?» ubi Horatius hunc ipsum eclogæ VIII. Vergilianæ locum ante oculos habuit, de quo nunc agitur. Cf. etiam Hor. Carm. III. 1, 2—4: «*Favete linguis:* carmina non prius Audita Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto.»

Latinæ facere licet, cur Latinis ipsis non licuerit, non video. Tribuamus igitur verbo *mutandi* hoc loco hanc significationem et statim tollitur omnis difficultas Vergiliique versus liberatur epitheto otioso atque molesto. Erit enim *mutata* (i. e. muta facta) epitheton contrarium illis, quæ Vergilius alias fluminibus tribuere solet: *rauca* (Ge. I, 109; Aen. VI. 327. et IX. 124.) et *sonora* (Aen. XII. 139.) Præterea, cum hoc loco vs. 3. commemorasset lynces *stupefactas*, aptissime addidit flumina *muta*; cf. Aen. III. 48: «*Obstipui* steteruntque comæ et *vox* faucibus *hæsit*.»

Ita incidimus in verbum vere novum; nam verbum *mutandi* huc usque notum longe ab hoc differt derivaturque ex forma frequentativa *movendi* i. e. a *movitando*. Postquam autem ex *movito* solita contractione *muto* factum est, facile obsolescere potuit alterum genuinumque **muto**, quod olim significavit: *mutum facere* et verisimiliter iis adnumerandum est verbis, quæ Vergilius ex obsoleta veterum poetarum Latinitate suo more feliciterque resuscitavit.

VI. Ad Lygdam. 1, 11—12.

Apud Lygdamum (1, vss. 9—14.) de ornamentis libri Neæræ mittendi legimus:

Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
   Pumex *et* canas tondeat ante comas,
Summaque prætexat *tenuis* fastigia chartæ,
   Indicet ut nomen littera facta tuum,
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
   Sic etenim comptum mittere oportet opus.

Vs. 10. pro *et* Huschke rectissime scripsit **cui**, quia hoc versu coniunctio *et* non habet aptum locum propter sequens *ante*; poeta fortasse ante oculos habuit Tib. II, 1, 78: «Explorat cæcas *cui* manus *ante* vias.» Emendatione egent vss. 11—12., ubi scribendum censeo:

Summaque prætexat **minium** fastigia chartæ,
   Indicet ut nomen littera facta tuum.

Minium enim hoc loco significat schedulam illam superiori oræ libelli præfixam et minio pictam, quæ vulgo vocabatur titulus sive index. Sensus erit igitur: chartam, sicut togam limbus purpureus, prætexat titulus *minio* pictus, ut nomen tuum littera inscripta indicet.

Coniectura mea confirmatur duobus poetarum veterum locis, ubi manifesta est Lygdami imitatio. Nam vss. 10—11. Lygdami ante oculos habuit auctor *Ciris* (vss. 319—320.):

> An nescis, qua lege patris de vertice *summo*
> Edita candentes *prætexat purpura canos*?

Vss. autem 9—14. Lydami respexit Ovidius Trist. I. 1, 3—12., ubi librum suum luctuosum in urbem mittendum ita describit, ut semper contrarium dicat illi, quod loco in quæstionem vocato Lygdamus dixit:

> Vade, sed *incultus*, qualem decet exulis esse:
>   Infelix habitum temporis huius habe.
> Nec te *purpureo* velent vaccinia fuco —
>   Non est conveniens *luctibus* ille color —
> Nec titulus *minio*, nec cedro charta notetur,
>   Candida nec nigra *cornua* fronte geras.
> Felices ornent hæc instrumenta libellos:
>   Fortunæ memorem te decet esse meæ.
> Nec fragili *geminæ* poliantur *pumice frontes*,
>   Hirsutus sparsis ut videare comis.

Qua coniectura in contextum verborum recepta servabitur in constructione sententiarum concinnitas: lutea *membrana* scilicet involvit libellum, *pumex* tondet comas canas eius et *minium* prætexit summa fastigia chartæ, i. e. *membrana*, *pumex* et *minium* erunt subiecta trium sententiarum artissime inter se cohærentium. Lygdamum et Ovidium simul respexit Martial. III. 2, 7—11. (de libro suo): «Cedro nunc licet ambules perunctus Et frontis gemino decens honore Pictis luxurieris umbilicis, Et te purpura delicata velet, Et *cocco* rubeat superbus index.

VII. Ad Verg. Ecl. VI. 83.

Auctor Ciris vss. 376—377:

> Pergit, *Amyclœo* spargens altaria *thallo*,
> Regis Iolciacis animum defigere votis,

ante oculos habuit Verg. Ecl. VI. 82—84:

> Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
> Audiit Eurotas iussitque ediscere *laurus*,
> Ille canit . . .

Vergilius autem hoc loco alludit ad Euphorionis *Hyacinthum*, ubi narrabatur amor Phœbi in Hyacinthum *Amyclæum* et enumerabantur fabulæ eroticæ a Phœbo Amyclis ad ripam Eurotæ *lauris* obsitam coram Hyacintho cantatæ, ut exposui in libello meo *De sexta Vergilii ecloga*.* Ergo *Amyclæus thallus* in Ciri significat *laurum*, cuius frequentem in devotionibus magicis usum fuisse docemur Verg. Ecl. VIII. 82—83., ubi agitur de magia amatoria:

> *Sparge* molam et fragiles incende bitumine *laurus*.
> Daphnis me malus urit, ego hanc *in Daphnide laurum*.

Auctor autem Ciris, cum vs. 376 scriberet:

> . . . Amyclæo *spargens* altaria thallo,
> Regis Iolciacis *animum defigere* votis,

etiam hunc Vergilii locum ante oculos habuisse putandus est: nam apud Vergilium puella amans, sicut in Ciri nutrix Scyllæ, eo consilio laurum comburit, ut animum viri defigat.

VIII. Ad Verg. Ecl. IV. 49.

Qui vaticinium in Ecloga IV. ad filium Pollionis referri non posse censent, versu 49. utuntur argumento gravissimo;

> Cara *deum* suboles, magnum Iovis incrementum.

* Cf. supra Excurs. III.

Sed hoc loco primum *Iovis incrementum* non significat filium Iovis, sed puerum, qui olim in numerum deorum relatus[1] domum Iovis (i. e. Olympum) augebit; deinde genitivus *deum* non ad deos Olympios, sed ad Pollionem et uxorem[2] eius est referendus. Ut enim ecloga I. Vergilius *deum* appellavit Octavianum adulescentulum, qui prædia eius veteranis assignata reddidit (vss. 6—8.):

> O Melibœe, *deus* nobis hæc otia fecit:
> Namque erit ille *mihi* semper *deus*, illius aram
> Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus,

et se eundem inter Lares suos culturum promisit vss. 42—43:

> Hic illum vidi iuvenem, Melibœe, quotannis
> Bis senos cui nostra dies altaria fumant,

ita hoc loco diis adnumerat Pollionem, quia, ut Servius in præf. ad Bucol. dicit, «amissis agris Romam venit et usus *patrocinio Pollionis* et Mæcenatis solus agrum, quem amiserat, recipere meruit.» Sæpe enim veteres eos, quibus salutem debebant, appellabant deos. Cf. Cic. ad Quir. post redit. c. 8: «Primum, qua sanctissimi homines pietate erga *deos* esse solent, me eadem erga populum Romanum semper fore *numenque vestrum* æque mihi grave et sanctum ac *deorum* immortalium futurum» et ibid. c. 10: «Atque hæc cura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna, ut vobis, qui apud me *deorum* immortalium vim ac numen tenetis» etc. Eodem modo prædicat Cicero senatores Post redit. in sen. c. 12: «Ego vos universos, patres conscripti, *deorum* numero colere debeo», et ibidem (c. 4.), quod maximi est momenti, consulem Lentulum: «Princeps P. *Lentulus*, parens ac *deus* nostræ vitæ.»

[1] Cf. infra vs. 63:

«Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est», unde puerum illum, ut olim Herculem, Iovis epulis interfuturum et deam quandam uxorem ducturum esse elucet.

[2] Etiam uxorem Pollionis commemorat poeta huius eclogæ vss. 60—61.

Quæ igitur Cicero consularis non dedignatus est dicere de Lentulo, quod se exulem restituisset, cur non dixisset iuvenis Vergilius de Pollione, cui certe tantundem debebat, quantum Cicero consuli illi?

IX. Ad Verg. Aen. XI. 569.

Auctor Ciris vss. 512—513:

> Non thalamus Syrio fragrans accepit amomo,
> *Nullæ illam sedes:* quid enim cum sedibus illi?

et vs. 518:

> Incultum *solis* in rupibus *exigit ævum*,

ante oculos habuit Verg. Aen. XI. 567—569:

> *Non illum* tectis *ullæ*, non mœnibus urbes
> *Accepere* neque ipse manus feritate dedisset:
> Pastorum et *solis exegit* montibus *ævum*.

Vergilius autem ipse ante oculos habuisse videtur Tibull. I. 2, 71—72:

> Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
> Iungere et in *solo pascere monte* pecus.

Quare pro *et* vs. 569. Aen. XI. inepte posito scribendum videtur:

> Pastorum **in** solis exigit montibus ævum,

i. e. vitam pastoralem egit in montibus desertis.

X. Quo tempore Diræ scriptæ sint?

Diras Valerio Catoni falso tributas et imitationem manifestam Bucolicon (I. et IX.) Vergilii præ se ferentes *post pugnam Actiacam* (a. 31. a. Chr. n.) scriptas esse elucet ex vss. poetæ anonymi 8—13:

> Montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,
> Impia. *Trinacriæ* sterilescant gaudia vobis,

Nec fecunda, senis nostri felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua colles,
Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
Ipsæ non silvæ frondes, non flumina montes.

Agri igitur poetæ veteranis assignati et ab eo devoti siti erant in *Sicilia*; Octavianus autem agros Siculos veteranis assignandos curavit post pugnam Actiacam. Ad hanc rem et ad hoc tempus pertinent etiam Hor. Sat. II. 6. 55—56:

militibus promissa *Triquetra*
Prædia Cæsar an est Itala tellure daturus.

Plura vide apud *Gardhausenum:* Augustus und seine Zeit, tom. I. p. 283. et 401., unde agros Siculos ante pugnam Actiacam non fuisse veteranis distributos apparet. Ceterum mox de hac quæstione copiosius disputabo peculiari commentatione Academica.

XI. Ad Cæsaris Germanici Arat. 645.

Apud Cæsarem Germanicum Arat. vss. 644—645. legimus:

Scorpios exoriens, cum clarus fugerit amnes,
Scorpios Oriona fugat, pavet ille sequentem.

Inepte iteratur vs. 645. *Scorpios* videturque huc ex versu præcedente irrepsisse; præterea cum vs. 644. *amnes* ad Oceanum pertineat desideretque adiectivum aliquod aut genitivum, ut, quid hoc loco significet, luculenter appareat, locum ita emendandum puto: «cum clarus fugerit amnes **Oceani**, Oriona fugat» etc. Poeta certe ante oculos habuit Verg. Georg. IV. 233—234:

Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias et *Oceani* spretos pede reppulit *amnes*.

Cf. Cæs. Germ. Arat. 589: «Cum primum Cancrum *Tethys* emittit in auras»; ibid. 624: «Exsilit *Oceano* tunc toto crine Bootes»; ibid. 675: «Iam sicca *Oceano* Chiron pernicia crura Expellit.»

XII. De tribus Epicuri heredibus.

De tribus Epicuri heredibus cf. testamentum eiusdem apud Laert Diog. X. 16: *Κατὰ τάδε δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους Βατῆθεν καὶ Τιμοκράτει Δημητρίου Ποταμίῳ κατὰ τὴν ἐν τῷ Μητρῴῳ ἀναγεγραμμένην ἑκατέρῳ δόσιν, ἐφ᾽ ᾧ τε τὸν μὲν κῆπον καὶ τὰ προσόντα αὐτῷ παρέξουσιν Ἑρμάρχῳ Ἀγεμόρτου Μυτιληναίῳ καὶ τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ καὶ οἷς ἂν Ἕρμαρχος καταλίπῃ διαδόχοις τῆς φιλοσοφίας, ἐνδιατρίβειν κατὰ φιλοσοφίαν.*

XIII. De Caribus et Lelegibus.

Cares olim Leleges appellatos fuisse testatur Herodot. I. 171: *εἰσὶ δὲ Κᾶρες μὲν ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων. τὸ γὰρ παλαιὸν ἐόντες Μίνω κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες εἶχον τὰς νήσους.* Cf. Parthen. *Ἐρωτ. παθ.* c. 11. (de Cauno, oppido Cariae): *οὕτως τὸν Καῦνον περαιωθῆναι εἰς τὴν τότε ὑπὸ Λελέγων κατεχομένην γῆν . . . πόλιν τε κτίσαι τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ κληθεῖσαν Καῦνον:* Verg. Aen. VIII. 725: «hic Lelegas Carasque»: Ovid. Met. IX. 645: «Caras et armiferos Lelegas Lyciamque pererrat.» Ceterum *Car*, Phoronei filius, *ἀρχηγέτης* Carum, erat antiquissimus fundator Megarae, unde arx urbis vocabatur *Καρία*: cf. Pausan. I. 39. et 40; Herod. I. 171.

XIV. De Scorpio et Orione.

Fabulam de Scorpio et Orione narravit Euphorion; cf. scholiast Venet. ad Iliad XVIII. 486. (p. 507. 32. ed. Bekk.): *συγκυνηγετῶν δὲ οὗτος* (sc. Orion) *Ἀρτέμιδι ἐπεχείρησεν αὐτὴν βιάσασθαι. Ὀργισθεῖσα δὲ ἡ θεὸς ἀνέδωκεν ἐκ γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον ἀπέκτεινε. Ζεὺς δὲ συμπαθήσας κατηστέρισεν αὐτόν. διὸ τοῦ σκορπίου ἀνατέλλοντος Ὠρίων δύνει. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.*

XV. De Minoe rege.

Quæ in Ciri (vs. 269.) de Minoe leguntur: «Quem pater ipse deum sceptri donavit honore», ad Hesiodum redeunt; cf. Pseudoplaton. Min. p. 320. D: *εἴρηκε δὲ καὶ Ἡσίοδος ἀδελφὰ τούτων εἰς τὸν Μίνων. μνησθεὶς γὰρ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος φησὶν,*

Ὃς βασιλεύτατος ἔσκε καταθνητῶν βασιλήων
Καὶ πλείστων ἐάνασσε περικτιόνων ἀνθρώπων
Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον. τῷ καὶ πολέων βασίλευεν.